


Dv 1399<sup>2</sup>



V. 850.

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK  
- Med.-Naturwiss. Abt. -  
DUSSELDORF  
V 5306

H. V. 176, 177





# PHARMACOPOEA

HASSIAE

ELECTORALIS

POTENTISSIMI ELECTORIS JUSSU EDITA.

~~~~~  
EDITIO ALTERA EMENDATIO.



~~~~~  
CASSELLIS, 1860.

~~~~~  
Sumtibus et typis officinae typographicae aulicae orphanotrophi.

PHARMACOPŒA

HASSLIAE

ELECTORALIS

POTISSIMI ELECTORIS JESU TYTA

EDITH ALTEBA WERBETIUS



CASSIAE 1741



## Praefatio.

---

Cum omnia Pharmacopoeae Hassiae Electoralis anno 1827 editae exemplaria vendita essent, opus erat, ut nova ejus editio, eximiis progressibus, quos scientia medica, ars chemica et pharmaceutica nec non historia naturalis fecerunt, magis respondens promulgaretur. Quam ob rem summum Consilium Electorale, cui res internae civitatis traditae sunt, Collegio medicinali supremo novam Pharmacopoeam per viros huic negotio aptos elaborandam tradidit. Quem ad finem Dr. *P. Heraeus*, Collegii hujus Director, Dr. *A. Speyer*, a consiliis medicis superioribus, Dr. *H. Hartung-Schwarzkopf* et Dr. *R. Wild*, Collegii Assessores et Pharmacopoei Cassellani designati sunt, quorum primos tamen praematura mors mox e vivis eripuit. Tum ad complendam sectionem, Pharmacopoeae elaborandae causa constitutam, Dr. *L. Grandidier*, a consiliis medicis superioribus,

vocatus est. Sed denuo tertia mors impedivit, quo minus opus inchoatum perfici posset, nam **Dr. H. Hartung-Schwarzkopf** subito typho succubuit, ita ut superstitionibus **DDr. Grandidier** et **Wild** opus finire et editionem parare relictum esset, data scilicet a **Potentissimo Electore** venia edendi, atque manuscripto **Facultati medicae Marburgensi** antea proposito.

Non est cur alia praemoneantur; id tantum silentio non praetermittendum erit, quod in elaborando hoc opere **Pharmacopoeiarum regnorum vicinorum Borussiae, Bavariae et Hannoverae** diligentissima ratio habita est.

Cassellis, die 2. Octobris 1860.



## PONDERA.

---

Libra medicinalis continet Uncias duodecim,  
Uncia           "           "       Drachmas octo,  
Drachma       "           "       Scrupulos tres,  
Scrupulus     "           "       Grana viginti.

Pondera in Pharmacopoea et in Pharmacopoliis nostris usitata, desumpta sunt a pondere Norimbergensi medicinali. Libra una medicinalis aequat 357,66390 Grammata ponderis Gallici, vel 0,764710 Libram ponderis mercatorii Hassiaci (Pond. Coloniens.).

---

Vasa mensuralia adhibe e stanno puro confecta, vel porcellanea, attamen nunquam mensuris, sed semper ponderibus liquorum quantitas dispensanda est. Fluiduncia pharmaceutica respondet Unciae, ponderis medicinalis Norimbergensis, Aquae destillatae simplicis calore 14<sup>o</sup> thermometri Reaumuriani.

---

Ubi vel per exiguitatem vel per evanescentiam liquoris expendendi non licet, trutina pondus examinare: liquores leviores aqua per guttas, si ad quinque granorum pondus non accedunt, mesures, et quidem Aetherum guttas quindecim, Spiritus aetherei etc., nec non Tincturarum aetherearum guttas decem, Tincturae Opii

crocatae et simplicis guttas octo pro granis quinque censeas, nisi a medicis guttarum numerus speciatim indicatus est.

Fluidorum, quae, quoad pondus specificum, parum ab Aqua destillata differunt, guttas septem granis quinque aequales aestimes, e. g. Aquae Amygdalarum amararum concentratae.

De iis vero, quae Aquam pondere superant, e. g. Acida diluta, Mixtura sulphurico-acida, Acetum Lithargyri, guttam grano parem judices.

Ad fluidorum corporum pondus specificum determinandum, Areometra Beckii adhibenda sunt, et pondera specifica in Pharmacopoea exposita calore  $+ 14^{\circ}$  thermometri Reaumuriani determinata sunt.

Medicamenta, quae signo stellae \* notata inveniuntur, ea sunt, quae etiam in minorum oppidorum Pharmacopoliis praesto esse debent. Pharmacopolia vero illarum urbium, in quibus provinciarum nec non circumlocorum magistratus sedes habent, omnibus medicamentis sint instructa. At si forsitan cujusdam regionis medici hoc vel illud medicamentorum dictorum, quod, per longius spatium temporis servatum, efficaciam suam amittit seu depravatur, non adhibeant, non est, cur illius copiam promptam habeas.



\* **Acetum aromaticum.****Gewürzessig.***Loco Aceti antiseptici, bezoardici et prophylactici.*

*Rp.* Herbae Absinthii,  
 „ Rorismarini,  
 „ Salviae,  
 „ Menthae piperitae, singularum Uncias duas,  
 Caryophyllorum,  
 Radicis Zedoariae, singulorum Unciam dimidiam.  
 Concisis et vase vitreo ingestis affunde:  
 Aceti crudi Libras octo,  
 Spiritus Rorismarini Uncias quatuor.

Vase vesica perforata clauso, digerantur leni calore per quadriduum. Acetum refrigeratum per colum fortiter exprime, et per chartam bibulam filtra.

Serva in lagenis vitreis bene obturatis.

Liquidum sit pellucens, ex rubro lucide-brunneum; odoris aromatico-acidi; saporis paris.

\* **Acetum concentratum.****Concentrirter Essig.**

*Rp.* Natri acetici, a Natrio chlorato liberi, Uncias  
 triginta sex,  
 Acidi sulphurici Anglici Uncias quindecim,  
 antea cum  
 Aquae communis Unciis decem  
 dilutas. Mixta immitte in retortam vitream tubulatam,

in balneo arenae collocatam, et adapta excipulum satis amplum. Lutis amylaceis bene siccatis destillent sub igne fortiori sed bene regulato:

Unciae quadraginta in excipulum, quod, si opus est, semper bene refrigerandum est.

Serva in lagenis bene clausis.

Acetum concentratum sit coloris expers, limpidum, perfecte volatile, odoris proprii Acidi acetici, sed minime Acidi sulphurosi vel empyreumatici. Ponderum specificum sit 1,035 usque ad 1,040 = 6° Ar. Bk. Aq. gr.

Uncia una sufficiat ad saturandas Drachmas tres Kali carbonici puri sicci.

Aqua hydrosulphurata, solutionibus Argenti nitrici, Barytae nitricae et Kalii ferro-cyanati flavi non mutetur.

Continet in 100 partibus 25 partes Acidi anhydri.

### \* Acetum crudum.

#### Rother Essig.

Parari potest e quovis liquore vinoso fermentationi acidae subjecto.

Fluidum sit limpidum, decolor vel subflavescens, saporis grati, valde acidi et odoris excitantis.

Unciae duae ejus sufficiant ad saturandam Drachmam unam Kali carbonici puri sicci, et haec saturatio sit saporis salsi, sed minime acris. Acetum, inter manus fricatum, odorem cerevisiae vel Spiritus Frumenti non spargat. Admixta Aqua hydrosulphurata non fuscet.

Si Acetum crudum usque ad consistentiam syrupi evaporatum et residuum cum Spiritu Vini rectificatissimo digestum est, fluidum defiltratum admixto Liquore Barytae nitricae non perturbetur.

### Acetum Digitalis purpureae.

#### Rother Fingerhut-Essig.

*Rp.* Herbae Digitalis purpureae concisae Unciam unam.

Infunde:

Aceti crudi Uncias septem et dimidiam,  
Spiritus Vini rectificati Unciam dimidiam.



Macera per sex dies, exprime et filtra acetum.

Serva caute in vitro bene obturato.

Sit limpidum, coloris rubentis.

## \* Acetum Lithargyri.

**Bleiessig. Bleiextract. Bleiglätte-Essig.**

*Extractum Saturni. Acetum Saturni. Acetum saturninum. Acetum plumbicum. Liquor Plumbi acetici basici.*

**Rp.** Plumbi acetici depurati Uncias sex.

Misce terendo exacte cum:

Lithargyri antea igniti et laevigati Unciis duabus.

In lagenam immitte et sensim adde:

Aquae destillatae Uncias viginti, ut vas repleatur, quod clausum reponere, sedulo agitando, donec sedimentum albescat et fere solutum sit. Tum filtra.

Serva caute in lagenis vitreis.

Sit liquor limpidus, coloris expers; addita Mucilage Gummi Arabici fiat coagulatio; addito Liquore Ammoniaci caustico praeponderante non coeruleat. Sit ponderis specifici 1,235 usque ad 1,240 = 28° Ar. Bk. Aq. grav.; saporis e dulci styptici, nauseosi; Chartam exploratoriam coeruleam non permutans, Chartam exploratoriam luteam fuscans.

## Acetum purum.

**Reiner oder destillirter Essig.**

*Acetum destillatum. Acidum aceticum dilutum.*

**Rp.** Aceti concentrati Unciam unam,

Aquae destillatae Uncias quinque.

Misce.

Serva in vitris epistomiis vitreis probe claudendis.

Sit limpidum et Uncia una ad Drachmam dimidiam Kali carbonici puri sicci neutralisandam sufficiat. Ceterum chemica ratio aequiparat illam Aceti concentrati.

### \* **Acetum pyrolignosum.**

**Holzessig. Rohe Holzessigsäure.**

*Acidum pyroxylicum crudum. Acidum pyrolignosum crudum.*

Praeparatum siccae destillationis variorum lignorum, praecipue duriorum.

Liquor sit brunnescens, fere opacus, tamen limpidus; saporis acidi, fuliginei, empyreumatici et ingrati; odoris pungentis, empyreumatici. Admixto Liquore Baryi chlorati non perturbetur, et sit tantae aciditatis, ut Uncia una sufficiat ad perfectam saturationem Drachmae unius Kali carbonici puri sicci.

### **Acetum pyrolignosum rectificatum.**

**Gereinigter Holzessig.**

*Acidum pyrolignosum vel pyroxylicum rectificatum.*

Acidum pyrolignosum crudum retortae vitreae immitatur et leni igne adhibito destillet, donec tres quadrantes eliciti fuerint.

Sit coloris subflavi, a Liquore Baryi chlorati et ab Aqua hydro-sulphurata non turbetur.

In vasis bene clausis serva.

### **Acetum Rubi Idaei.**

**Himbeeressig.**

*Rp.* Syrupi Rubi Idaei,

Aceti crudi, singulorum partes aequales.

Misce et filtra.

Servetur in lagenis vitreis obturatis vel paretur ex tempore.

Sit limpidum.

### **Acetum Scillae.**

**Meerzwiebeleessig.**

*Acetum scilliticum.*

*Rp.* Radicis Scillae siccatae et concisae Uncias duas,

Aceti crudi Libras duas,



Macera leni calore in lagena vitrea clausa, subinde agitando, per octiduum. Acetum colando defunde et illi adde:

Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam et dimidiam.

Postquam subsederit liquor, per chartam bibulam filtretur.

Servetur in lagena vitrea clausa.

Sit limpidum, coloris subflavescentis, odoris acetici, saporis paris et amari.

## \* Acidum aceticum.

### Essigsäure.

*Acidum Aceti. Alcohol Aceti. Loco Aceti glacialis.*

*Rp.* Kali sulphurici crudi pulverati Uncias tredecim,  
Acidi sulphurici crudi Uncias septem cum dimidia.

Mixta evaporent ad siccum, tum igne fortiori fundantur. Huic massae refrigeratae et pulveratae admisce: Natri acetici perfecte exsiccati Uncias duodecim, ex Unciis circiter viginti Natri acetici crystallisati blando calore parandas.

Fiat destillatio e balneo arenae leni calore et vas excipiens bene refrigerandò, donec circiter Unciae septem transierint.

Serva in vase vitreo, epistomio vitreo clauso.

Sit limpidum, coloris expers, frigore adhibito in crystallos crescens, ab empyreumate et Acido sulphuroso liberum, Ponderis specifici 1,058 usque ad 1,060 = 9° usque ad 10° Ar. Bk. Aq. grav. Cum Aqua destillata sat dilutum nec a Liquore Barytae nitricae, nec Argenti nitrici turbetur. Instillato Ammonio sulphurato liquido, Plumbum non prodatur. Solutione Kalii ferro-cyanati flavi non mutetur. Natro carbonico neutralisatum, saturationi fluidum levius, odoris proprii (Acetonum), non innatet.

Continet acidi acetici anhydri 84 ad 85 partes in 100 partibus.

## \* Acidum arsenicosum.

**Arsenige Säure. Weisser Arsenik.**

*Arsenicum album.*

Praeparatum officinarum metallurgicarum, sublimatione minerarum arsenicalium e. g. Cobalti et Stanni paratum, et iterum sublimatum.

Massa est quasi vitriformis, alba, compacta, splendens, primum pellucida, post longius tempus opaca, quasi porcellanea, fracturae splendentis, conchoideae, pond. specif. 3,73, odoris nullius, saporis debilis, dulciusculi, metallici. Prunis injecta odorem alliaceum spargit, in aqua difficillime solubilis, solutio reactionem acidulam praebet.

Exaestuata sit sine residuo volatilis, sed haec operatio caute perficienda est.

Serva cautissime secundum legem.

## \* Acidum benzoicum.

**Benzoësäure. Benzoëblumen.**

*Flores Benzoës.*

*Rp.* Benzoës, grosso modo pulverisatae, Libram unam.

Insperge aequabiliter in fundum planum sartaginis rotundae ferreae, cujus diametrus octo usque novem pollices, cujus altitudo duos pollices explet. Loco sartaginis ferreae patina plana, figulina, margine elevato instructa, adhiberi potest. Super sartaginem vel patinam expande folium chartae bibulae albae laxioris texturae, cujus margines sartagini glutine amylaceo juncti sunt. Sartagini impone conum vel cylindrum acute-angulatum, e charta texturae densioris constructum, cujus diametrus paullulum major est, quam sartago vel patina, et impone apparatus, tali modo instructum, laminae ferreae, strato arenae conspersae. Tum institue sublimationem igne primum lenissimo, caute paullulum augendo, sed nullo modo calefactio tanta sit, ut resina decomponatur. Interdum conus vel cylindrus immissus a sartagine



removeatur, et contentum ejus, sicuti crystallos, in charta subsedentes, barbae pennae ope in vas, jam antea loco idoneo collocatum, immitte. Sublimatione peracta, operatio, quae plerumque per horas quatuor usque sex durat, finiatur.

Praeparatum serva in vitro bene obturato. Crystalluli sint albae, foliaceae, aciculares, hexagonae, subpellucidae, sericeae, tenerrimae; in Aqua difficile, in Spiritu Vini rectificatissimo facile solubiles; odoris grati benzoini; saporis primum dulciusculi, tum aciduli acris, fauces vellicantis.

Acidum benzoicum calefactum liquescat, tum quidem vaporibus pulmones irritantibus volatile, sed sine ullo odore sudoris equini sit; Calcaria usta contritum, nullo modo vapores ammoniacales eructet. Solutio aquosa, Acido nitrico acidulata, Liquore Barytae nitricae et Argenti nitrici non praecipitur.

## Acidum citricum.

### Citronensäure.

Praeparatum officinarum chemicarum, obtentum e Calcaria citrica et Acido sulphurico.

Crystalli sunt rhombicae, columnares, decolores, diaphanae, in aëre immutabiles; in Aqua, sicuti in Spiritu Vini facile solubiles; saporis acidissimi, haud ingrati. Temperatura leni fatiscant, calore aucto liquescant, denique decomponentur.

Solutio nec Aqua hydrosulphurata, nec Liquoribus Kali chlorati, sicuti Ammoniaci oxalici praecipitur. Liquor Barytae nitricae nullo modo sedimentum, in Acido nitrico insolubile, edat.

## \* Acidum hydrochloratum crudum.

**Rohe Chlorwasserstoffsäure. Rohe Salzsäure.**

*Acidum Salis crudum. Acidum muriaticum crudum.*  
*Spiritus Salis acidus.*

In officinis chemicis destillatione Natrii chlorati, Acidi sulphurici Anglici ope, paratur.

Sit fluidum flavescens, rarissime decolor, causticum, calefactum plane volatile; aëre vapores eructans, reactionis acidæ; odoris acidi pungentis, peculiaris; saporis acidi, ingrati, caustici, et ponderis specifici 1,133 = 20° Ar. Bk. Aq. grav.

Tantummodo usui tecnico, nunquam medicinali inserviat.

## Acidum hydrochloratum dilutum.

**Verdünnte Chlorwasserstoffsäure.**

*Acidum Salis dilutum.*

*Rp.* Acidi hydrochlorati puri Partem unam,  
Aqueae destillatae Partes duas.

Misce.

Serva in vitro, quod epistomio vitreo clausum est.

Sit limpidum, decolor et ponderis specifici 1,036 = 6° Ar. Bk. Aq. grav. Signa chemica puritatis ut in Acido hydrochlorato puro.

## \* Acidum hydrochloratum purum.

**Reine Salzsäure. Reine Chlorwasserstoffsäure.**

*Acidum muriaticum purum. Acidum Salis purum.*

*Rp.* Natrii chlorati, leni calore decrepitati, Uncias triginta.

Immitte in cucurbitam vitream, satis capacem et affunde:

Acidi sulphurici Anglici Uncias quinquaginta,  
antea cum Aquae fontanae Unciis novem  
dilutas.

Tum impone balneo arenae. Collo vesicae, e gummi elastico confectae, et antea emollitionis causa in aquam calidam injectae, e cujus fundo frustulum thaleri magnitudinis resectum est, et quae in calido et molliori adhuc statu cucurbitae orificio alligata erat, adapta crus brevius tubuli vitrei, dupliciter curvati filisque alligati, crus longius ejus conduc in fundum lagenae intermediae, tribus collis praeditae et Aquae Unciarum viginti capae. Haec lagena tubo vitreo recto, fundum fere



tangente et altera extremitate aperto, sit instructa, et collum tertium per tubum tertium sat curvatum, cum excipulo, Aquae Unciarum quadraginta capaci, eo modo jungatur, ut hujus tubi orificium paullulum in Aquam excipuli immersum sit.

Lagena intermedia contineat:

Aquae fontanae Uncias quatuor,  
excipulum vero:

Aquae destillatae Uncias triginta.

Juncturis bene clausis fiat perfecta extricatio gasis, igne sensim fortiori adhibito, et excipulum bene refrigerando.

Acidum in excipulo obtentum diluatur Aqua destillata usque ad pondus specificum = 1,120.

Servetur in lagenis epistomiis vitreis bene clausis.

Acidum hydrochloratum purum sit limpidum, coloris omnino expers, plane volatile, reactionis acidae, odoris pungentis acidi, saporis caustici acidi, ponderis specifici supra dicti = 18° Ar. Bk. Aq. grav.

Aëri expositum non fumet. Acidum Aqua dilutum solutione Barytae nitricae non praecipitetur, Aqua hydrosulphurata non mutetur. Si acido, Protochloreto Stanni mixto et leniter calefacto, charta bibula alba, cum solutione Plumbi acetici impregnata, admovetur charta bibula colore brunneo vel nigro non imbuatur. Acidum, Auro foliato digestum, colorem luteum non assumat, si in patina porcellanea evaporatur, et admixtum Protochloretum Stanni colore rubro non praecipitetur. Acidum, Liquore Ammoniaci caustici neutralisatum, nec solutione Kalii cyanati sulphurati colore sanguineo, nec solutione Kalii ferrocyanati colore coeruleo praecipitetur.

Continet 24,35 partes Acidi anhydri in 100 partibus.

## \* Acidum nitricum crudum.

**Rohe Salpetersäure. Scheidewasser.**

*Acidum Nitri crudum. Aqua fortis. Spiritus Nitri.*

Paratur in officinis chemicis e Kali aut Natro nitrico, addito Acido sulphurico.

Fluidum sit coloris expers aut subflavum, in aëre vapores emittens, acidum, corrosivum, perfecte volatile; ponderis specifici = 1,250 usque ad 1,300 = 34° usque ad 35° Ar. Bk. Aq. grav.  
Nunquam pro usu interno adhibeatur.

## Acidum nitricum dilutum.

**Verdünnte Salpetersäure.**

*Acidum Nitri dilutum.*

*Rp.* Acidi nitrici puri,  
Aquae destillatae, singulorum Partem unam.

Misce.

Sit liquor limpidus, decolor, ponderis specifici 1,10 = 15° usque ad 16° Ar. Bk. Aq. grav.

Signa chemica puritatis ut in Acido nitrico puro.  
Serva in vitro, quod embolo vitreo clausum est.

## Acidum nitricum fumans.

**Rauchende Salpetersäure.**

*Acidum nitroso-nitricum. Acidum seu Spiritus Nitri fumans.*

Praeparatum officinarum chemicarum.

Serva caute, in vasis epistomiis vitreis munitis et loco obscuro.

Sit coloris flavi vel sub-aurantiacy; aëri expositum vapores suffocantes eructans; summe causticum; ponderis specifici 1,520 usque ad 1,525 = 58½° Ar. Bk. Aq. grav. Perfecte volatile sit.

Vix ulla vestigia Acidi sulphurici et hydrochlorati praebet.

## \* Acidum nitricum purum.

**Reine Salpetersäure.**

*Acidum Nitri purum. Spiritus Nitri acidus.*

*Rp.* Kali nitrici, a Kalio chlorato, quantum fieri potest, liberi Libras octo.

Perfecte exsiccatus et grosso modo pulverisatus immitte in retortam, et adde ope infundibuli parvi in tubulum vitreum immissi:



## Acidi sulphurici Anglici Libras octo.

Retorta usque ad dimidiam tantum partem Acido et Sale implenda, et in balneum arenae immittenda est. Tum adapta excipulum satis amplum et incipe igne leni destillationem eo modo, ut primae partes destillatae, Chloro inquinatae, seorsim asserventur. Interdum guttae nonnullae primi destillati in vitrum, quod guttas duas solutionis concentratae Argenti nitrici et Drachmas duas Aquae destillatae continet, immittendae sunt, et videndum est, num reactio Chlori appareat nec ne. Reactione finita adaptandum est excipulum purum, tubulatum, cui tubulus vitreus rectus inseratur, et, lutis bene siccatis, et optime excipulum refrigerando, igne sensim aucto destillatio continuanda et tum denique finienda est, si massa in retorta resistens fere sicca appareat.

Destillatum obtentum sufficiente quantitate Aquae destillatae diluendum est, ut pondus specificum sit = 1,200. Haec operatio in vitro decolore instituenda, et in determinatione ponderis specifici non praetermittendum est, Acidum, Aqua mixtum valde incalescere. Praeterea summi momenti est, acidum dilutum per aliquot tempus in cucurbita, collo breviori instructa et in balneum Aquae immissa, incalescere, ut eo modo azotum oxydatum perfecte abeat, et ut destillatum in Acidum nitricum inodorum transeat.

Acidum nitricum purum in vitris bene clausis servandum est.

Sit limpidum decolor, perfecte volatile, reactionis acidissimae; ponderis specifici dicti 1,200 = 28° usque ad 29° Ar. Bk. gr., et radiis solis expositum, decomponatur. Corpora organica, praecipue animalia, facile destruit et colore luteo imbuit, saporis est acidissimi, caustici et odoris debilis, ingrati, acidi, proprii.

Acidum nitricum, addito Liquore Barytae nitricae et Argenti nitrici ne turbetur.

Continet 27,6 partes Acidi anhydri in 100 partibus.

## Acidum phosphoricum dilutum.

**Verdünnte Phosphorsäure.**

*Acidum Phosphori dilutum.*

Misce Acidum phosphoricum purum cum Partibus aequalibus Aquae destillatae.

Serva in vitro, epistomio vitreo munito. Sit clarum, limpidum, ponderis specifici 1,065 = 10½° Ar. Bk. Aq. grav. Signa chemica puritatis ut in Acido phosphorico.

## Acidum phosphoricum fusum.

**Geschmolzene oder eisartige Phosphorsäure.**

*Acidum Phosphori fusum. Acidum phosphoricum glaciale.*

*Rp.* Acidi phosphorici puri quantum vis.

Evapora in lebetæ plumbeo vel patina porcellanea usque ad consistentiam syrupi. Tum infunde in crucibulum platinaceum, vel porcellaneum vel Hassiacum et expone calori, ut excandescat colore obscure-rubro, tam diu, donec massa tranquille fluat, semper cavendo, ne frustula carbonis in crucibulum cadant. Massam effunde super lapidem et post refrigerationem conserva in vitris siccis, optime clausis.

Acidum phosphoricum fusum praebet massam decolorem, pelucidam, amorpham, vitro similem, ponderis specifici = 2,0. Aëri expositum deliquescit et sensim sensimque massam syrupo similem format. Solutio recens et frigore parata praecipitat albumen. Quantitates parvae Calcariae, Magnesiaë vel Acidi sulphurici, praeparato immixtae, pro usu pharmaceutico minoris momenti sunt.

## \* Acidum phosphoricum purum.

**Reine Phosphorsäure.**

*Acidum Phosphori purum.*

*Rp.* Acidi nitrici puri Uncias duodecim,  
Phosphori in frustulis parvis Unciam unam.



Immitte in retortam tubulatam, ad tertiam partem substantiis immissis impletam, adapta excipulum leviter et sine luto, et expone in balneo arenae igni lenissimo caute tam diu, donec Phosphorus perfecte solutus sit. Destillatum elicatum subinde in retortam remittendum est. Tunc infunde fluidum in patinam porcellaneam vel platinaceam, et expone tam diu calori, donec Acidum nitricum perfecte avolaverit, quod odore vel bacillo vitreo, cum Liquore Ammoniaci caustici humectato, cognosci potest. Tum guttae nonnullae Acidi nitrici puri in fluidum instillandae sunt, et si inde bullae rubicundae apparuerint, haec operatio tam diu repetenda est, donec hoc phaenomenon plane cessaverit. Acido in patina residuo admisce Aquae destillatae Uncias octo, infunde in lagenam albam satis capacem, calefac iterum, et immitte gas hydrothionicum copiose et pluries.

Tum sepone lagenam per aliquot dies in locum calidum, et calefac fluidum in patina porcellanea plana tam diu, donec odor Acidi hydrothionici perfecte cessaverit. Denique filtra et adde Aquae destillatae quantum satis, ut pondus specificum Acidi obtenti sit = 1,130 =  $19\frac{1}{2}^{\circ}$  Ar. Bk. Aq. grav.

Servetur in lagenis bene clausis.

Acidum phosphoricum sit decolor, limpidum, ponderis specifici dicti, reactionis acidae, odoris nullius, saporis non ingrati, peracidi. Cum Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo omnibus in proportionibus misceri potest. Aqua hydrosulphurata admixta non turbetur. Liquor Barytae nitricae et Argenti nitrici in Acido, cui guttae aliquot Acidi nitrici admixtae sunt, nullam reactionem praebent. Hydrargyrum oxydatum rubrum, per aliquot temporis spatium cum Acido conquisatum, nec primum in pulverem album Hydrargyri phosphorici mutetur, nec denique in pulverem griseum, Hydrargyrum metallicum, reducat. Acidum phosphoricum Auro foliato et Acido hydrochlorato commixtum, additis guttulis aliquot Protochloreti Stanni, colore rubro non imbuatur. Acidum, Liquore Ammoniaci caustici neutrali-

satum, pulverem albidum non demittat. Liquore Kali caustici coctum vapores ammoniacales non eructet. Solutio Albuminis Acido phosphorico admixta ne praecipitetur. Continet 16 partes Acidi anhydri in 100 partibus.

### \* Acidum succinicum.

**Bernsteinsäure. Flüchtigtes Bernsteinsalz.**

*Sal Succini volatile.*

Praeparatum officinarum chemicarum, destillatione sicca Succini, plerumque addito Acido sulphurico, obtentum.

Format crustas albidas, flavescentes, diaphanas, cohaerentes, saepius e crystallulis prismatico-acicularibus constantes, aëre persistentes, in Aqua et facilius in Spiritu Vini rectificatissimo solubiles. Sunt odoris et saporis Olei Succini, exaestuatae primum liquescunt, tum sub forma vaporum alborum tussim et sternutationem moventium in auras abeunt.

Sit sine ullo residuo volatile, et Calcaria usta contritum odorem ammoniacalem non spiret, neque solutio, addito Liquore Kali caustici diluto, colore albo praecipitetur.

### \* Acidum sulphuricum Anglicum.

**Englische Schwefelsäure. Englischs Vitriolöl.**

*Oleum vitrioli Anglicum.*

Paratur in officinis chemicis propriis combustione Sulphuris, admixto Nitro.

Est plerumque decolorum, limpidum; interdum etiam subfuscum; oleosum, vapores non eructans, valde corrosivum; pond. spec. 1,840 ad 1,845 = 70° Ar. Bk. Aq. grav.

Sit ab Arsenico et metallis noxiis liberum.

Serva caute.

### Acidum sulphuricum dilutum.

**Verdünnte Schwefelsäure.**

*Acidum vitrioli dilutum.*

*Rp.* Aquae destillatae Uncias quinque.

Immitte in patinam porcellaneam. Sensim et caute instilla:



Acidi sulphurici puri Unciam unam.

Misce.

Serva in vitro, quod embolo vitreo cluseris.

Sit coloris expers, limpidum, et ponderis specifici 1,126 = 19°  
Ar. Bk. Aq. grav. Signa chemica puritatis uti in Acido sulphurico puro.

**\* Acidum sulphuricum Nordhusanum.**

**Nordhäuser Schwefelsäure. Nordhäuser Vitriolöl.**

*Oleum Vitrioli Nordhusanum.*

Destillatione e Ferro sulphurico oxydulato obtinetur.

Est subfuscum, oleosum, valde corrosivum, vapores griseo-albidos, suffocantes eructans, Aquae instillatum fortius cum strepitu exaestuans; ponderis specifici = 1,860 usque ad 1,900 = 80° Ar. Bk. Aq. grav.; temperatura = 0° R. in crystallos congelans.

Ab Arsenico liberum sit.

Serva caute.

**\* Acidum sulphuricum purum.**

**Reine Schwefelsäure. Rectificirte Schwefelsäure.**

*Acidum sulphuricum rectificatum. Acidum Vitrioli concentratum purum.*

*Rp.* Acidi sulphurici Anglici, ab Arsenico liberi,  
Libras sex.

Immitte ope infundibuli in retortam satis capacem non tubulatam, collo breviori instructam, Acido usque ad tertiam tantum partem impletam, injice filum platinaceum crassum, spirae modo flexum, tum immitte retortam in cupellam ferream, subjice tenue stratum arenae, circumda, quantum fieri potest, arena, tege retortam cupella ferrea, adapta excipulum satis capax sine luto, et immitte intra collum retortae et collum excipuli filum platinaceum crassum, cavens, ne vitrum alterum alterum tangat. Tum incipe destillationem igne primum leni, sensim eo modo aucto, ut Acidum leniter ebulliat et

fundus cupellae colorem rubicundum assumat; excipulum semper radio Aquae frigidae refrigerandum est. Cave, ne per ebullitionem nimiam aliquid Acidi in retorta contenti in excipulum injiciatur. Si sexta circiter pars Acidi elicita est, quae rejiciatur, permutetur excipulum cum altero, antea leni calore calefacto, quod secundum excipulum Acidum nunc purum recipiat. Si circiter duae partes Acidi in excipulum transierunt, finiatur destillatio.

Acidum obtentum in lagenis crassis, epistomiis vitreis claudendis caute servandum est.

Acidum sulphuricum sit fluidum, limpidum, coloris expers, oleosum, valde corrosivum, inodorum, peracidum, aëri expositum vapores non eructans et calefactum perfecte volatile.

Pondus specificum sit = 1,84 = 78° Ar. Bk. Aq. grav.

Duabus partibus Aquae destillatae dilutum Aqua hydrosulphurata colore fusco non praecipitetur. Liquore Ammoniaci caustici neutralisatum addito Liquore Ammonii sulphurati hydrosulphurati non mutetur. Liquor Argenti sulphurici nullam reactionem praebet, et admixta solutione frigida et concentrata Ferri sulphurici oxydulati nulla zona opaca rubello-flava vel rubro-fusca inter ambos liquores exoriatur.

## \* Acidum tannicum.

Gerbsäure. Tannin.

Tanninum.

*Rp.* Gallarum, grosso modo pulverisatarum, quantum vis.

Immitte in tubulum separatorium vitreum, tubo longo instructum, ad basin suberis ope clausum et gossypio repletum.

Infunde miscelae, e paribus voluminibus

Aetheris et

Spiritus Vini rectificatissimi

paratae, tantum, ut Gallae obtegantur, tum infundibulum subere claude. Stent per viginti quatuor horas



in loco frigido. Tum remove epistomium suberinum inferius, superius paullulum aperiens, ut liquidum defluere possit, quod in vase vitreo apto excipiendum est. Haec operatio nova quantitate miscelae supra dictae repetenda est. Fluida obtenta miscenda et per breve tempus seponenda sunt. In patinam porcellaneam amplam tenuiter effusa impone in locum foci satis calidum, et evapora ad siccum. Acidum tannicum refrigeratum, pumicis formae, facile pulverisandum est.

Serva in vase bene clauso.

Sit massa amorpha, flavido-albescens, aëre persistens, friabilis, splendens, porosa; odoris nullius, saporis austeri, valde adstringentis, styptici, primo dulciusculi. In Aqua facile, difficiliter in Spiritu Vini rectificatissimo et Aethere solvitur, et solutiones ejus sunt reactionis acidulae.

In lamina platinacea excandefactum vix aliquid cineris relinquit, et solutio spirituosissima Aethere commixta non perturbetur.

Praeparatum fusco-nigrum rejiciatur.

### \* Acidum tartaricum.

**Weinsteinsäure. Weinsäure. Wesentliches Weinstein-  
salz.**

*Sal essentielle Tartari.*

Paratur in officinis chemicis decompositione Calcariae tartaricae ope Acidi sulphurici.

Format columnas vel tabulas decolores, diaphanas, cohaerentes, duras, aëre persistentes, oblique rhombicas vel sexlaterales, saepius ad magnas crustas coalitas. Sunt odoris nullius, saporis valde acidi, acerbi, grati; in parte una et dimidia Aquae frigidae, facilius in Aqua calida, etiam in Spiritu Vini rectificatissimo solubiles. Solutio diluta mucescens facile decomponitur. Excandefactae sub exhalatione odoris proprii decomponuntur.

Aëri expositum non humescat, et solutio, Liquore Ammoniaci caustici supersaturata, nec Aqua hydrosulphurata, nec Acido oxalico soluto perturbetur. Liquor Barytae nitricae in solutione non nimis diluta praecipitatum album producat, quod in Acido nitrico perfecto solubile sit.

\* **Aerugo.**

**Grünspan. Spangrün. Rohes essigsaures Kupferoxyd.**  
*Viride Aeris. Cuprum aceticum crudum.*

Praeparatum officinarum chemicarum, praesertim in Francogallia meridionali e Cupro, vaporibus Aceti corrosivo, paratum.

Massa compacta, difficulter rumpenda, friabilis, opaca, e viridi coerulescens, in Aqua ex parte, in Acido acetico fere perfecte et sine effervescentia solubilis. Saporis est ingrati, metallici.

Solutio, admixta solutione Barytae nitricae, sedimentum, in Acido nitrico insolubile, non edat, et Cupro, ope Aquae hydrosulphuratae praecipitato, solutio, a praecipitato defiltrata, evaporatione non nimias partes fixas relinquat.

Serva caute.

\* **Aether.**

**Aether. Schwefeläther. Vitriolnaphtha.**

*Aether sulphuricus. Naphtha Vitrioli.*

*Rp.* Spiritus Vini rectificatissimi Libras quinque.

Immitte in lebetem plumbeum vel ferreum, Aquae frigidae vel glaciei immersum. Tunc admisce caute et sollicite, bacillo vitreo agitans:

Acidi sulphurici Anglici Libras novem.

Post refrigerationem mixta immitte in retortam vitream tubulatam usque ad duas partes (e tribus) fluido implendam, et in balneo arenae colloca. Adapta ope suberis perforati, tubulum claudens, tubulum metallicum vel vitreum duarum usque trium linearum diametro, angulo recto in duo crura inaequalia curvatum. Crus longius, strophinge instructum, cum lagena vitrea, Spiritum Vini rectificatissimum continente, jungatur,



crus brevius vero ad lineae amplitudinem attenuatum mixturae in retorta contentae paulum immergatur. Retortae jungere excipulum satis capax, Aqua frigida aut nive refrigerandum, et juncturis ope vesicae vel lutis amylaceis bene clausis et exsiccatis fiat destillatio, igne primum moderato deinde fortiori, ita ut mixtura in retorta contenta continuo fortiter ebulliat, Spiritus Vini rectificatissimi tanta copia sensim affluente, quanta mixtura in retorta diminuitur. Destillatio tam diu continuetur, donec quantitas totius Spiritus Vini consumpta sit quintupla Acidi sulphurici adhibiti.

Destillatum fere semper acidum conquassa cum parva copia Calcariae ustae et Mangani hyperoxydati, antea cum nonnullis guttis Aquae trita, tam diu, quam Charta exploratoria coerulea, in fluidum immersa, rubedinem amplius non assumat. Tum immitte in retortam satis capacem, et rectifica igne lenissimo, donec destillatum pondus specificum = 0,725 non superet.

Aether loco frigido in lagenis bene clausis non nimis amplis servetur.

Epistomia suberina plerumque vitreis pro servandis liquoribus aethereis praeferenda sunt.

Liquor sit tenuissimus, limpidissimus, valde inflammabilis, saporis et odoris peculiaris, aetherei; ebulliat in temperatura 29° R. Cum Spiritu Vini rectificatissimo omnibus in proportionibus commisceri potest. Aether sit ponderis specifici = 0,725 = 62° Ar. Bk. Aq. lev., et in partibus novem usque decem Aquae solubilis. Jam in temperatura ordinaria facillime avolet. Kali carbonicum, Aethere conquassatum, siccum remaneat. Chartam exploratoriam coeruleam non rubefaciat. Aqua hydrosulphurata admixta non mutetur.

### \* Aether aceticus.

Essigäther. Essignaphtha.

*Naphtha Aceti.*

*Rp.* Natri acetici Uncias viginti,  
vel quantum sufficit, ut post perfectam exsiccationem in

lebetes ferreo sub igne fortiori Unciae duodecim remaneant. Sal siccum statim immitte in retortam vitream tubulatam vel cucurbitam, et affunde:

Acidi sulphurici Anglici Uncias tredecim, cum Spiritus Vini rectificatissimi Unciis novem cautissime sed celeriter eo modo mixtas, ut sal et fluidum intime misceantur. Stent per noctem.

Tum immitte retortam in balneum Aquae, adapta excipulum, et lutis amylaceis bene siccatis, institue destillationem igne primum blandissimo, sed sensim aucto, donec massa in retorta remanens fere sicca appareat. Excipulum semper bene refrigerandum est.

Destillato admisce:

Calcii chlorati sicci

tam diu parva frustula, quam ea saepius agitando et per aliquot horas seponendo adhuc solvantur. Si Aether eo modo separatus forsitan odorem Acidi sulphurosi praebet, paullulum Mangani hyperoxydati nativi optimi addendum est. Tum denique Aether admixta sufficiente quantitate Calcariae tam diu rectificandus est, donec circiter pars septima liquoris in retorta remaneat.

Aether aceticus in lagenis optime clausis loco frigido servandus est.

Sit decolor, tenuis, limpidus, perfecte volatilis, neuter, valde inflammabilis, odoris proprii suavissimi, aetherei; saporis aromatici, grati, refrigerantis, aetherei, in septem ad octo partibus Aquae solubilis, ponderis specifici = 0,880 = 23° Ar. Bk. Aq. lev. Kali carbonicum ne humectet, Aqua hydrosulphurata et Baryo chlorato soluto admixto ne mutetur.

## \* Aloë.

Aloë.

*Aloë lucida. Aloë Soccotrina. Aloë Capensis.*

Variae species Aloës, e. g. A. Soccotrina, purpurascens, spicata, arborescens et cet.



CL VI. Ord. I. syst. Linn. — Fam. *Asphodeleae*  
(*Liliaceae*) syst. natur.

Succus e foliis plantarum, quas in Africa meridionali et in India orientali et occidentali indigenas esse dicimus, elicitus, tum solis calore induratus.

Frusta sunt variae magnitudinis, difformia, irregulariter angulosa, nitentia, vernisio quasi tecta, ad marginem diaphana, e viridi-fusco purpurascentia, ponderosa, densa, fractura splendente conchoidea; frigida in pulverem auro-flavum friabilia, calida emolliri possunt. Sunt odoris peculiaris, balsamici, penetrantis, Myrrhae non plane dissimilis, et saporis nauseosi, amarissimi.

In Aqua pro parte majori, in Spiritu Vini rectificatissimo fere perfecte solubilis sit. Solutio spiritiuosa sit limpida.

Aloë deterrima, sic dicta Caballina, coloris fere nigri et odoris nauseosi rejiciatur.

### \* Alumen crudum.

**Alaun.**

Praeparatum officinarum chemicarum propriarum, praecipue e mineralibus sic dictis Alaunstein, Alaunschiefer, Thon, paratum.

Rarius venale occurrit in octaëdris regularibus, plerumque exhibet massas texturae crystallinae, decolores, subpellucidas, subfatiscentes, in Aqua, sed non in Spiritu Vini rectificatissimo solubiles; odoris nullius et saporis dulciusculi, styptici. Calore liquefit intumescens, et in massam spongiosam pervertitur. Aestui fortiori expositum decomponitur.

Solutio sit reactionis acidulae. Rejiciatur flavescens, impurum. Pulverisatum, in tubulo vitreo exaestuatum, admixto Liquore Kali caustici vapores ammoniacales non eructet, qui facillime odore deteguntur, et si Charta exploratoria rubra humefacta in vacuum spatium tubuli immissa est, colore coeruleo imbuatur. Solutio Aluminis admixto Liquore Kalii ferro-cyanati flavi sedimentum fusco-rubeum vel coeruleum minime edat.

## Alumen depuratum.

**Gereinigter Alaun.**

*Rp.* Aluminis crudi quantum placet.

Solve in sufficiente quantitate Aquae bullientis destillatae.

Crystallos frigore concretas sicca et serva.

Solutio, admixta Tinctura Gallarum, non nigrescat, et, Acido nitrico acidulata, Aqua hydrosulphurata non nigrescat vel fuscescat.

## \* Alumen ustum.

**Gebraunter Alaun.**

*Rp.* Aluminis crudi quantum placet.

In crucibulo Hassiaco satis capaci sub agitatione perpetua cum spatula porcellanea tam diu exaestuetur, donec vapores aquosi non amplius emittantur, et Alumen perfecte in massam levem, porosam abierit. Cave, ne nimio calore adhibito, Alumen decomponatur.

Servatur in loco sicco.

Sit massa amorphica, alba, levis, spongiosa, friabilis; recens parata in Aqua non perfecte, sed, aliquot mensibus praetermissis, quamquam lente, tamen perfecte solubilis.

## Alumina.

**Alaunerdehydrat. Thonerdehydrat.**

*Argilla pura. Terra aluminosa. Alumina hydrata.*

*Rp.* Aluminis crudi quantum vis.

Solve in:

Aquae destillatae bullientis Partibus viginti quatuor.

Instilla sensim sensimque, interdum cum spatula lignea agitans tantum:

Solutionis Natri carbonici aquosae,  
donec haec paulum praevaleat. Digere per horam dimi-



diam, sedimentum ortum in filtrum collige et edulcora sedulo. Praecipitatum album solve in:

Acidi hydrochlorati diluti quantitate sufficiente, et solutionem denuo praecipita cum:

Liquore Ammoniaci caustici

eo modo, ut Ammoniacum paululum praevaleat. Praecipitatum sedulo Aqua destillata ablutum, sicca et serva.

Sit pulvis albus, haud in Aqua solubilis, inodorus, insipidus, igne fortiori indurescens. Sit in Liquore Kali caustici, sicuti in Acido sulphurico sine residuo solubilis.

### \* Ambra.

**Ambra.**

Concrementum vel secretum abnorme intestinorum Physteris macrocephali, Linn. (Mammalia Cetacea.) in mari obduratum.

Plerumque ad littora insularum Moluccarum rupibus inhaerens vel mari innatans invenitur.

Sit coloris opaci, grisei, striis et maculis incanis, vel nigrescentibus variegata; pond. specif. 0,780 ad 0,926 et consistentiae cerae. Calori leni exposita, adeo emollescit, ut acus calefacta transire possit; prunis injecta, primum intumescit, vapores suaveolentes emittens, tum sine residuo flamma splendente comburitur. In Aqua insolubilis est.

Sit in Aethere et Spiritu Vini absoluto fere perfecte solubilis.

### \* Ammoniacum.

**Ammoniak. Ammoniakgummi.**

*Gummi Ammoniacum.*

Dorema Ammoniacum Don. planta verisimilis indigena Persiae septentrionalis, (Provinciae Irac) et Armeniae Cl. V. Ord. II syst. L. — Fam. Umbellatae syst. natur.

Succus lacteus radicis in aëre induratus.

Optimum Ammoniacum est, quod nominatur Ammoniacum in granis vel lacrymis. Exhibet frustula solitaria rotunda vel oblonge-rotunda, magnitudinis pisi vel nucis Juglandis, interdum conglutinata, opaca, extus plerumque flavida, fractura lactea, vel albidoflava, splendoris pinguis.

Ammoniacum, quod vocant in massis, format placentas majores, flaventes vel rutilas, granis fere rubris vel albidis intermixtas.

Ambo sint tenacia, inter digitos trita paullulum emollescentia, partim in Aqua, partim in Spiritu Vini rectificatissimo solubilia, odoris penetrantis, balsamici, nauseosi; saporis primum dulciusculi, tum amari, nauseosi, denique acris.

Ammoniacum in granis, pro usu interno, in massis solummodo pro usu externo adhiberi debet.

Massas fusco-nigras, inodoras, quisquiliis intermixtas, minime in usum medicinale trahas.

### \* Ammoniacum carbonicum.

**Kohlensaures Ammoniak. Flüchtiges Laugensalz.**

*Alcali volatile siccum.*

Productum officinarum chemicarum, e sublimatione Ammonii chlorati et Calcariae carbonicae in vasis ferreis vel lapideis, nunquam plumbeis, paratum.

Sit massa amorpha (rarissime in octaëdris rhombicis occurrit), alba, fibrosa; aëri exposita fatiscens, leni calore perfecte volatilis; reactionis alcalinae; odoris penetrantis, peculiaris, ammoniacalis, sed non empyreumatici; saporis acris, alcalini; in tribus partibus Aquae frigidae et fere in aequalibus bullientis solubilis.

Solutio aquosa, nec Acido sulphurico diluto, nec Aqua hydrosulphurata praecipitetur. Acido nitrico saturatum, fluidum instillato Liquore Argenti nitrici non turbetur, et acido dicto supersaturatum, admixto Ammonio sulphurato liquido a metallis liberum reperiatur. Ammoniacum carbonicum, Acido acetico saturatum et Aqua destillata dilutum, solutione Ammoniaci oxalici non turbetur.

Serva loco frigido in vasis bene clausis.



\* **Ammoniacum carbonicum pyro-  
oleosum.**

**Brenzlich-öliges Kohlensaures Ammoniak.  
Hirschhornsalz.**

*Sal cornu cervi volatile.*

Praeparatum officinarum chemicarum, destillatione sicca ex ossibus et aliis partibus animalibus obtentum.

Sit massa crystallina, e flavescente alba; odoris ammoniacalis et empyreumatici penetrantis; saporis similis; aëri exposita maxima ex parte diffugiens.

In igne plane avolet, et sit in duabus usque tribus partibus Aquae perfecte solubile. Solutio Aqua hydrosulphurata admixta ne perturbetur.

Serva in vitro obturato loco sicco et frigido.

\* **Ammoniacum depuratum.**

**Gereinigtes Ammoniak oder Ammoniakgummi.**

*Gummi Ammoniacum depuratum. Pulvis Gummi  
Ammoniaci.*

Ammoniacum electum tempestate gelida terendo redigatur in pulverem, ab adhaerentibus quisquiliis ope cribri setacei secernendum.

Serva loco non nimis calido charta involutum.

\* **Ammonium chloratum crudum.**

**Chlor-Ammonium. Salzsaures Ammoniak. Salmiak.**  
*Chloretum Ammonii. Ammoniacum hydrochloratum  
crudum. Ammonium muriaticum. Sal Ammoniacum.*

Sal nativum rarius occurrit, maxima ex parte in officinis chemicis, praesertim decompositione Ammoniaci carbonici ope Acidi hydrochlorati paratur.

Occurrit plerumque sublimatum in placentis, supra convexis, subtus concavis, interdum conicis, albis, pellucidis, duris, nitidis; rarius crystallisatum. Est inodorum, saporis salini, pungentis, in Aqua facile, in Spiritu Vini difficile solubile.

**\* Ammonium chloratum depuratum.**

**Gereinigtes Chlorammonium. Gereinigtes salzsaures Ammoniak. Gereinigter Salmiak.**

*Sal ammoniacum depuratum. Ammoniacum hydrochloratum depuratum. Ammonium muriaticum depuratum.*

Plerumque Ammonium chloratum venale pro usu pharmaceutico satis purum est. Si vero reagentibus subtus dictis exploratum non purum invenitur, modo sequenti purificandum est.

*Rp.* Ammonii chlorati crudi quantum placet.

Solve in patina porcellanea, orificio instructa, in:

Aquae destillatae bullientis Parte una et dimidia.

Tum filtra statim et celeriter, et subjice in loco frigido crystallisationi. Hanc operationem repete, tam diu, donec crystalli purae oriantur. Collectas et siccatas crystallos serva.

Sit albissimum, in Aqua facile et perfecte solubile, exaeratum volatile, minime odoris empyreumatici.

Signa physica Ammonii chlorati sublimati vide supra, ubi de Ammonio chlorato crudo sermo est. Crystallisatum praebet crystallos aciculares longas, in forma barbae pennae concretas, evaporatione cautiore vero octaedra oblonga, praecipue vero tetraedra, in crustas coalita.

Solutio aquosa, addito Liquore Barytae nitricae, clara maneat et Liquore Kalii ferreo-cyanati flavi vel Aqua hydrosulphurata colorem non ducat.

In mortario ferreo calefacto pulverandum.

Serva loco sicco in vasis clausis.

**\* Ammonium chloratum ferratum.**

**Eisen-Chlorammonium. Eisensalmiak. Eisenhaltige Salmiakblumen. Chlorwasserstoffsaures Ammoniak-Eisenoxyd.**

*Ammonium hydrochloratum ferratum. Ammoniacum martiale. Flores Salis Ammoniaci martiales.*

*Rp.* Liquoris Ferri sesquichlorati Uncias quatuor,



Ammonii chlorati depurati Uncias quindecim.

Solve ope caloris in patina porcellanea in:

Aquae destillatae Unciis quadraginta.

Solutionem, si opus est, filtratam evapora primum igne modico libero, spatula porcellanea perpetuo agitando, et, si spissescere incipit, continua evaporationem usque ad siccum in balneo aquae vel arenae. Sal calidum statim pulverisandum et in vitris nigris bene obturatis servandum est.

Ammonium chloratum ferratum sit pulvis aurantiacus, subcrystallinus, diaphanus, aëri expositum humescens; lucis influxu colorem pallidiorem assumens, reactionis acidae in solutione, saporis pungentis, salsi, adstringentis.

Sit in tribus circiter partibus Aquae fere perfecte solubile, calefactum avolet sub residuo minimo. Solutio, admixta solutione Kalii ferro-cyanati rubri, non coerulecat, nec solutione Barytae nitricae praecipitetur. Aqua hydrosulphurata solutioni, Acido nitrico acidulatae, admixta minime colorem nigrum in ea praebeat.

## \* Amygdalae amarae.

### Bittere Mandeln.

Amygdalus communis Linn. Var. amara.  
Arbor in Oriente indigena, in Europa calidiori culta.  
Cl. XII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Rosaceae  
(Amygdaleae) syst. nat.

Nuclei utrinque compressi, oblongi, ovati, intus albidii, membrana coriacea fuscescente-flava praediti. Sunt saporis amari et plerumque minores quam Amygdalae dulces.

Rancidae et maculis flavis intus notatae rejiciantur.

Cave ne cum Amygdalis dulcibus commixtae sint.

E Francogallia meridionali (Provence) allatae praestant.

\* **Amygdalae dulces.****Süsse Mandeln.**

*Amygdalus communis* Linn. Var. *dulcis*.

De planta materna vide *Amygdalae amarae*.

Nuclei sunt *Amygdalis amaris* similes, plerumque his majores, interdum tamen minores, oblongi, ovati, utrinque compressi, saporis oleosi, dulcis, mucilaginosi.

Rancidae, intus maculis fuscis vel flavis notatae et corrosae rejiciantur.

Hispanicae, praecipue e Provincia Valencia, et Italicae majores, minoribus Francogallicis praestant.

Majorem copiam *Amygdalarum* nec dulcium nec amararum paratam habeas.

\* **Amylum.****Kraftmehl. Stärkemehl.**

*Triticum hibernum*, *Triticum turgidum*

Linn. et aliae species. Plantae cereales. Cl. III.

Ord. II. Linn. — Fam. Gramineae syst. natural.

Praeparatum officinarum peculiarium technicarum.

Sit albidum, siccum, in radiis solis micans; saporis vix ullius, fatui; odoris nullius. In Aqua frigida sicuti in Spiritu Vini insolubile. Aqua fervida in pulvem viscidam solvatur. Exaestuatum carbonem, igne fortiori perfecte delendum, relinquat.

\* **Aqua Amygdalarum amararum  
concentrata.****Concentrirtes Bittermandelwasser.***Aqua Amygdalarum amararum.*

*Rp.* *Amygdalarum amararum* Libras tres.

Contusas ac frigide exprimendo ab oleo liberatas, dein per cribrum trajectas, retortae vitreae vel vesicae destillatoriae, stanno intus obductae, immitte et affunde:

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas,

Aquae fluvialis aut pluvialis Libras sex.



Abstrahantur Librae tres, quae filtrentur.

Serva loco frigido in lagenis vitreis, charta nigra obductis, bene obturatis, ut remedium efficacissimum.

Sit parum lactescens, diaphana; odoris Olei aetherei Amygdalarum amararum; saporis similis. Duae Unciae Aquae Amygdalarum amararum concentratae praebent 6,66 ad 7 Grana Argenti cyanati probe siccati, quod in singula Uncia Aquae dictae  $\frac{2}{3}$  Grani Acidi hydrocyanici anhydri indicat.

### \* Aqua Calcariae.

**Kalkwasser.**

*Aqua Calcis. Liqueur Calcis.*

*Rp.* Calcariae ustae recenter paratae Libras duas.

Vasi stanneo immissae Aqua bulliente insperguntur dum in pulverem fatiscant.

Calcariam semirefrigeratam vasi figulino aut vitreo immitte, et tunc sub agitatione sensim adde:

Aquae communis Libras triginta.

Stent per horas duodecim, interdum spatula lignea agitatae. Liquorem, postquam Calcaria non soluta subsederit, defunde vel per chartam bibulam filtra.

Serva in lagenis probe obturandis.

Sit hyalina, sine sedimento; saporis alcalini, os siccantis; Chartam exploratoriam luteam colore e rubro-brunnescente valde imbuat; instillato Liquore Ammoniaci oxalici, intense lactescat, et, aëri exposita, mox cuticula obtegatur.

### Aqua Cerasorum.

**Kirschenwasser.**

*Aqua Amygdalarum amararum diluta.*

*Rp.* Amygdalarum amararum Libram unam.

Contusis et frigide exprimendo ab oleo liberatis, dein per cribrum trajectis, et vesicae immissis, affunde:

Aquae communis sufficientem quantitatem.  
 Cautè destillando elice Libras viginti quatuor.  
 Sit paullum turbida, demum limpida.

### \* Aqua Chamomillae.

**Kamillenwasser.**

*Rp.* Florum Chamomillae vulgaris Libras duas,  
 Aquae communis sufficientem quantitatem.  
 Destillatione eliciantur Librae viginti.  
 Sit limpida.

### \* Aqua chlorata.

**Chlorwasser. Oxydirte Salzsäure.**

*Liquor Chlori. Acidum oxymuriaticum. Acidum  
 Salis dephlogisticatum.*

*Rp.* Acidi hydrochlorati Uncias tredecim,  
 Aquae destillatae,  
 Mangani hyperoxydati nativi pulverati, singulorum  
 Uncias quatuor.

Immitte in cucurbitam vitream, usque ad dimidiam partem implendam, et adapta suberis ope tubulum vitreum curvatum, cujus crus externum immergatur in fundum lagenae, leviter stria vesicae clausae. Lagenae contineat:

Aquae destillatae, pro usu interno, aut fontanae, pro usu externo, Libras novem et Uncias quatuor.

Tunc cucurbita sub divo tam diu calori lenissimo, sub finem caute aucto, exponatur, donec omne gas lente expulsus fuerit.

Serva loco obscuro et frigido in vitris bene obturatis ac epistomio vitreo munitis.



Sit fluidum limpidum, viride-flavescens; odoris peculiaris, ingrati, suffocantis; saporis acris, nauseosi et styptici. Luminis accessu decomponitur et colores organicos destruit. Charta exploratoria coerulea in Aquam chloratam immersa statim sine rubedine decoloretur; cum pari volumine Syrupi Rubi Idaei conquassata, Aqua dicta colorem rubrum syrupi debeat, ejus loco subflavescentem assumens. Aqua chlorata cum Hydrargyro, in excessu admixto, circiter per horae dimidiae spatium conquassata, perdat odorem et, si Protojoduretum Hydrargyri exortum ac adhaerens Hydrargyrum filtratione remota sunt, Charta exploratoria coerulea fluido immissa rubedinem vix assumat. Liquore Argenti nitrici, filtrato admixto, non mutetur vel paululum opalescat, sed nunquam praecipitatum copiosum exoriatur.

### \* Aqua Cinnamomi.

**Zimmtwasser.**

*Rp.* Corticis Cassiae cinnamomeae contusae Libram unam,

Aquae communis sufficientem quantitatem.

Stent per diem in vase clauso, postea destillatione eliciantur Librae decem.

Sit limpida.

### Aqua Cinnamomi spirituosa.

**Geistiges Zimmtwasser.**

*Rp.* Corticis Cassiae cinnamomeae contusae Libram unam,

Spiritus Vini rectificati Libras duas,

Aquae communis quantum satis.

Destillando eliciantur Librae decem.

Sit turbida, demum limpida.

### \* Aqua communis.

**Wasser.**

Sumatur Aqua aut fontana, aut fluviatilis, aut pluvialis, et ea, quae purissima in promptu est.

Sit limpida.

## \* Aqua destillata.

### Destillirtes Wasser.

Destillent Aquae communis duae trientes, rejectis primis stillantis Aquae partibus, donec non amplius ab Aqua Calcariae turbantur. Aquam tunc stillantem serva ad usum.

Servatur in lagenis, exacte replendis et accurate claudendis.

A Baryo chlorato soluto, ab Argento nitrico soluto et ab Aqua Calcariae non turbetur. Sit limpida, odoris ac saporis experts.

Destillatio Aquarum fiat e vesica cuprea intus probe stanno obducta, et alembico ac canali refrigeratorio e stanno Anglico confecto, ne ulla ratione Aqua a corporibus, quae destillationi subjiciuntur, propter indolem acidam, in multis manifestam, veneno Cupri inquinari possit. Vas refrigeratorium sit amplum, Aqua frigida semper repletum.

Serventur Aquae odoriferae medicatae loco frigido, in lagenis rite charta tectis.

Aquae destillatae e variis floribus, fructibus et herbis sint odoris et saporis genuini, non empyreumatici, nec mucosae, nec sedimentum simile deponentes. Olea, aut recenter destillatis, aut vetustioribus inquantantia, aut fundum harum potentia, filtrando caute separantur.

## Aqua Florum Aurantii.

### Pomeranzenblüthwasser.

*Aqua Naphae. Aqua Florum Naphae.*

*Rp.* Florum Aurantii recentium Libras sex, aut Natrio chlorato conditorum Libras novem, Aquae communis quantum satis. Si Flores Aurantii conditos adhiberi vis, adde Kali carbonici crudi Uncias tres. Destillent inde Librae decem.

Ad usum medicum diluatur cum partibus duabus Aquae destillatae.

Sit limpida, odoris fragrantis, Aquam hydrosulphuratam non permutans.



\* **Aqua Foeniculi.****Fenchelwasser.**

*Rp.* Seminis Foeniculi contusi Libram unam,  
 Aquae communis sufficientem quantitatem.  
 Destillando eliciantur Librae triginta.  
 Sit limpida.

\* **Aqua Goulardi.****Goulard'sches Wasser.***Aqua vegeto-mineralis Goulardi.*

*Rp.* Aceti Lithargyri Partem unam,  
 Aquae communis Partes viginti et quatuor,  
 Spiritus Vini rectificati Partem unam.

Misceantur.

Servatur in lagena vitrea.  
 Sit alba, turbida.

**Aqua Kreosoti.****Kreosotwasser.**

*Rp.* Kreosoti Scrupulum unum,  
 Aquae destillatae Uncias quinque.

Misce et filtra.

Paratur ex tempore.

Sit paullum turbida, odoris Kreosoti.

**Aqua Lauro-Cerasi.****Kirschlorbeerwasser.**

*Rp.* Foliorum recentium Lauro-Cerasi Libras tres.  
 Minutim concisa ac in mortario lapideo ruditer  
 pistillo ligneo contusa immitte in retortam vitream et  
 affunde:

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas,  
Aquae communis Libras sex.

Adaptato excipulo, et post debitam digestionem,  
destillando elice Libras tres igne leni. Destillatum per  
chartam bibulam filtra.

Serva loco frigido in lagenis vitreis, colore nigro obductis, bene  
obturatis, ut efficacissimum remedium.

Parum lactescens, diaphana; odoris Olei aetherei Amygdalarum  
amararum; saporis paris. Instillatione Liquoris Ferri sulphurici oxy-  
dati, et tunc guttularum Liquoris Kali caustici, denique caute addito  
Acido sulphurico diluto, coerulea fiat et Coeruleum Parisiense deponat.

In defectu Foliorum recentium Lauro-Cerasi substituere licet  
Aquam Amygdalarum amararum concentratam.

### Aqua Melissaë.

**Melissenwasser.**

Paratur eodem modo uti Aqua Chamomillae ex Herba  
Melissaë.

Sit limpida.

### Aqua Menthaë crispae.

**Krausemünzwasser.**

*Rp.* Herbaë Menthaë crispae Libras duas cum dimidia,  
Aquae communis sufficientem quantitatem.

Destillentur Libraë viginti quatuor.

Sit limpida.

### \* Aqua Menthaë piperitae.

**Pfeffermünzwasser.**

Paratur eadem rationi uti Aqua Menthaë crispae  
ex Herba Menthaë piperitae.

Sit limpida.



**Aqua Opii.****Opiumwasser.**

*Rp.* Opii in lamellis dissecti et leni calore siccati  
Unciam unam,

Immitte in retortam vitream et affunde:

Aquae communis Uncias duodecim.

Destillent Unciae sex.

Serva caute in vasis bene claudendis.

Sit limpida, coloris expers, odoris debilis.

**Aqua Petroselini.****Petersilienwasser.**

*Rp.* Seminum Petroselini contusorum Libram unam,

Aquae communis quantitatem sufficientem.

Destillent Librae sedecim.

Sit paullum turbida, demum limpida.

**Aqua phagedaenica.****Altschadenwasser.**

*Rp.* Hydrargyri bichlorati corrosivi Granum unum  
cum dimidia.

Conterantur in mortario porcellaneo exacte cum:

Aquae Calcariae Uncia una.

Paratur ex tempore.

**Aqua Plumbi.****Bleiwasser.**

*Aqua saturnina. Aqua plumbica.*

*Rp.* Aceti Lithargyri Partem dimidiam,

Aquae destillatae Partes viginti quatuor.

Misce et ante dispensationem agita.

Serva caute lagenis probe tectis.

Sit paullum albida et turbida.

**Aqua regia.****Königswasser. Goldscheidewasser. Salpetersalzsäure.***Acidum chloro-nitricum. Acidum hydrochloro-nitricum.**Aqua regis.**Rp.* Acidi nitrici puri Partem unam,  
Acidi hydrochlorati puri Partes tres.

Commisceantur in cucurbita vitrea.

Sit clara, coloris expers, odoris acidi nitrosi.

Paratur ex tempore.

**\* Aqua Rosarum.****Rosenwasser.***Rp.* Florum Rosarum recentium Libras quatuor,  
(vel sale conditorum, bonae notae, Libras sex)

Olei Rosarum Guttas quindecim,

Aquae communis quantum satis.

Destillatione eliciantur Librae viginti.

Sit limpida.

**\* Aqua Rubi Idaei.****Himbeerwasser.***Rp.* Fructuum Rubi Idaei recentium, contritorum ac  
statim modice expressorum Libras duodecim,

Aquae communis sufficientem quantitatem.

Destillent Librae octodecim.

Sit limpida.

**Aqua Salviae.****Salbeiwasser.**Paratur ex Herba Salviae eadem ratione uti Aqua  
Chamomillae.

Sit limpida.



\* **Aqua Sambuci.****Hollunderwasser.**

E Floribus Sambuci eodem modo paratur ut Aqua Chamomillae.

Sit limpida.

\* **Aqua vulneraria acida.****Saures oder Theden'sches Wundwasser.**

*Aqua vulneraria Thedenii. Mixtura vulneraria acida.*

*Rp.* Aceti crudi Uncias sex,  
Spiritus Vini rectificati Uncias tres,  
Acidi sulphurici diluti Unciam unam,  
Mellis depurati Uncias duas.

Misce et filtra.

Serva in lagena vitrea obturata.

Sit limpida, flava, tempore fuscescens, ponderis specifici 1,050 =  
8° Ar. Bk. Aq. grav.

\* **Aqua vulneraria vinosa.****Geistiges Wundwasser. Schusswasser.****(Eau d'Arquebusade.)**

*Aqua vulneraria cum Alcohole. Aqua traumatica Gallorum. Aqua sclopetaria.*

*Rp.* Herbae Absinthii,  
" Salviae,  
" Menthae piperitae,  
" Rutae,  
" Rorismarini,  
Florum Lavendulae, singulorum Uncias quatuor,  
Spiritus Vini rectificati Libras sex,  
Aquae communis quantum satis.

Macerentur per viginti quatuor horas et destillatione eliciantur Librae octodecim.

Serva in lagena vitrea bene obturata.  
Sit paullum turbida, odoris aromatici.

## Argentum foliatum.

**Blattsilber.**

Argentum metallicum, a bracteaoribus in laminas tenuissimas ductum.

Reagentibus exploratum Argenti puri instar se habeat.

## Argentum nitricum crystallisatum.

**Krystallisirtes salpetersaures Silberoxyd.**

*Rp.* Argenti puri, quantum placet.

Solve leni calore in:

Acidi nitrici puri quantitate sufficiente,  
et evapora solutionem limpidam in patina porcellanea primum igne libero, tum in balneo arenae inter perpetuam agitationem ope bacilli vitrei usque ad siccum.

Sal siccum solve in:

Aquae destillatae partibus aequalibus, evapora solutionem lente et caute in balneo arenae, donec dimidia pars Aquae evaporata sit, et tum submitte loco frigido crystallisationi. Lixivium a crystallis diffusum, iterum, ut prius, evaporandum, et denuo lente et caute crystallisationi submittendum est. Crystallos collectas, cum pauxillo Aquae destillatae ablutas et tum siccatas serva in vitro nigro.

Argentum nitricum crystallisatum format tabulas in aëre persistentes, non deliquescentes, decolores, quatuor- usque sexlaterales, in Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo solubiles. Sunt odoris nullius et saporis acris, metallici, styptico-amari. Exaestuatae perfecte decomponuntur, et corporibus organicis, neque vero, ut vulgo creditur, luminis influxu, reducuntur.



Solutio sit neutralis; Acido hydrochlorato puro praecipitata et a sedimento defiltrata, plane volatilis sit. Solutio post praecipitationem cum Acido hydrochlorato puro defiltrata, Liquore Ammoniaci caustici neutralisata, et Aqua destillata diluta, Kalio ferro-cyanato soluto non praecipitetur. Denique solutio salis, Aqua destillata diluta, Natro sulphurico soluto admixto, sedimentum non praebet.

### \* **Argentum nitricum fusum.**

**Geschmolzenes salpetersaures Silberoxyd.  
Höllenstein.**

*Lapis infernalis.*

*Rp.* Argenti nitrici crystallisati quantum placet.

Liquefac in catino argenteo vel porcellaneo igne moderato caute et tam diu, donec massa, primum tumescens leniter olei instar fluat, tum effunde in formas ferreas idoneas bene mundatas et antea calefactas, sed non sebo vel oleo illitas. Bacillos refrigeratos e formis exime, et serva Argenti nitrici crystallisati instar.

Argentum nitricum fusum formet bacillos albos, vel griseo-cinerecentes, compactos, fragiles, structurae crystallinae-radiatae. Qualitates ceterae sunt eadem Argenti nitrici crystallisati ac, reagentibus exploratum, hujus praeparati instar se praebet.

### **Argentum purum.**

**Reines Silber.**

*Rp.* Argenti, quantum vis.

Solve in:

Acidi nitrici diluti puri quantitate sufficiente.

Solutionem dilue cum:

Aquae destillatae Partibus tribus.

Tum instilla:

Acidi hydrochlorati diluti, quamdiu sedimentum album exoritur, quod in filtro collectum sedulo Aqua destillata edulcoretur. Praecipitato edulcorato admisce:

Aquae destillatae, Acido hydrochlorato puro acidulatae, quantum satis, ut praecipitatum bene obtegatur, et adde immergendo lamellam Ferri puri. Stent tam diu, donec praecipitatum album in colorem cinereum perfecte mutetur. Denique lamella Ferri remota, Argentum praecipitatum primum cum parva quantitate Acidi hydrochlorati diluti, et postea cum Aqua destillata sedulo abluatur.

**Sicca.**

Sit pulvis nigro-cinereus, in Acido nitrico perfecte solubilis, minime colorem coeruleum imbuens. Solutio majori copia Aquae affusa ne praecipitetur, instillato Liquore Argenti sulphurici praecipitatum album ne demittat, Liquore Kalii ferro-cyanati flavi solummodo sedimentum album, nullo modo rubescens, producat.

**\* Asa foetida.**

**Stinkasand. Teufelsdreck.**

*Gummi Asae foetidae.*

*Ferula Asa foetida* Linn., planta spontanea Persiae meridionalis, praesertim provinciae Irac, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur., et forsitan aliae species *Ferulae*.

Succus lacteus in sole induratus e radice incisa plantae supra dictae. Gummi-resina haec occurrit in glebis vel granis, plerumque conglutinatis variae magnitudinis. Est interdum, saltem in granis intermixtis, diaphana et splendens, fusco-rosacea, intus albida vel ochroleuca, consistentiae aequabilis, ceraceae, tenacis, inter manus trita emolliens, nitoris pinguis, fracturae splendentis, conchoideae, odoris gravissimi, alliacei, saporis acris, amariusculi. Pro parte in Aqua, pro parte in Spiritu Vini rectificatissimo solubilis est.

Serva in loco sicco, non nimis calido, et dispensa suppellectili propria.

*Asa foetida* fusca vel nigrescens, odoris debilioris, quisquiliis inquinata, quae in massis vel sortis vocatur, rejicienda est.



## \* Asa foetida depurata.

**Gereinigter Stinkasand.**

Paretur ex Asa foetida uti Ammoniacum depuratum et servetur simili modo.

## Atropinum.

**Atropin.**

Praeparatum officinarum chemicarum, in omnibus partibus Atropae Belladonnae, praecipue in radice ejus repertum.

Exhibet crystallos decolores, tenuissimas, pellucas, plerumque aciculares, in glomerulos convolutas et Chinino sulphurico non dissimiles. Sunt splendoris sericei, odoris nullius, saporis ingratisissimi, amarissimi, acerrimi, quasi metallici et in Aqua difficile solubiles.

Praeparatum impurum, coloris flavido-brunnescentis et odoris nauseosi rejiciatur. Sit in Spiritu Vini rectificatissimo facile et in viginti quinque partibus Aetheris frigidi perfecte solubile.

In lamina platinacea exaestuatum carbonem edat, igne fortiore perfecte delendum.

Serva cautissime.

## Aurum.

**Gold.**

Metallum propriae indolis plerumque nativum occurrit. Est flavum, maxime splendens, mollius Argento, nec nimis elasticum et sonorum; tenax, maxime ductile et malleabile omnium metallorum, aegerrime fundendum, ponderis specifici 19,2 ad 19,4.

Sit in Aqua regia perfecte solubile. Pro usu pharmaceutico Aurum e ducatis Batavis et Hungaricis sumtum satis purum est.

## Aurum foliatum.

**Blattgold.**

Lamellae aureae tenuissimae.

Acidum nitricum, sicut Acida cetera, excepta Aqua regia, praeparatum non solvant, et Acido nitrico digestum nunquam colorem coeruleum assumat.

Aurum foliatum, Cupro inquinatum, nunquam venale occurrit, sed cautissime providendum est, ne loco Auri puri foliati Cuprum foliatum (Aurum foliatum spurium dictum) substituatur. Cuprum foliatum est colore coeruleo, facile in Acido nitrico solubile, et haec solutio, Liquore Natri carbonici neutralisata, admixto Liquore Kalii ferro-cyanati flavi, praecipitatum rubro-fuscum praebet.

## Aurum natronato-chloratum.

**Goldchlorid - Natriumchlorid. Salzsaures Gold-oxyd - Natron.**

*Aurum muriaticum natronatum.*

*Rp.* Auri puri, e ducatis Batavis vel Hungaricis in frustula dissecti, Drachmas duas.

Solve in patina porcellanea, collo amplo instructa, in balneo aquae in:

Aquae regiae sufficiente quantitate (Uncia).

Tege patinam cum vitro horologii, ne fluidum tumescat. Solutione peracta dilue fluidum duplo pondere Aquae destillatae, filtra, abluce filtrum cum Aqua destillata, immitte fluida conjuncta in vas porcellaneum, et admisce solutionem filtratam Natrii chlorati, e Scrupulis decem salis, et Unciis duabas Aquae destillatae paratam.

Tum evapora ad siccum in balneo aquae, sub finem operationis ope bacilli vitrei sedulo agitans. Massam contritam serva in vitro nigro, embolo vitreo munito.

Sit pulvis aurantiacus, in Aqua facile solubilis, non deliquescens, saporis ingrati, metallici, acris, styptici et salsi. Exaestuatus decomponitur, et relinquit Aurum metallicum et Natrium chloratum. Solutio, admixto Ammoniaco hydrosulphurato liquido, praecipitatum nigro-fuscum edat, et hoc praecipitatum cum reagentibus sub excessu digestum, sine residuo nigrescente perfecte resolubile sit.



\* **Axungia Porci.****Schweineschmalz.***Adeps suillus.*

*Sus Scropha* Linn. animal domesticum Cl.  
Mammalia, Ord. et Fam. Multungula.

Massa est granulosa, consistentiae unguenti, alba,  
calore facillime liquescens, Aqua levior, odoris nullius,  
saporis dulciusculi, pinguis.

Serva loco frigido.

Sit recens, minime rancida, bene elota, et admixta Aqua hydro-  
sulphurata non fuscescat.

Nimia copia Aquae admixtae indicatur crepitu frequente axungiae,  
igni immissae.

\* **Baccae Juniperi.****Wachholderbeeren.**

*Juniperus communis*, Linn. arbor aut frutex  
indigena et frequens in ericetis Europae borealis, Cl.  
XXII., Ord. IX. — Fam. Coniferae (Cupressi-  
neae) syst. natur.

Fructus (galbuli), qui falso baccae dicuntur, sunt  
altero demum anno maturi, globosi, magnitudinis pisi,  
recentes virides, nitidi, sicci nigri, in vertice sulcis  
tribus (residuis bractearum) notati, parenchymate brunneo,  
pulposo-carnoso, nuces circiter tres, hinc planas, inde  
convexas includente, saporis subdulcis, dein amariusculi,  
odoris aromatici gravis.

Fructus ex Italia allati, e nonnullis speciebus, a Junipero com-  
muni diversis, collecti, ceteris praestant.

\* **Baccae Lauri.****Lorbeeren.**

*Laurus nobilis* Linn. arbor semper virens  
Asiae et Europae meridionalis, Cl. IX, Ord. 1 syst.  
Linn. — Fam. Laurineae syst. natur.

Drupae sunt siccatae oblongo-ovatae, utrinque obtusae, magnitudinis cerasi, fusco-nigrae, carnosae, rugoso-reticulatae, monospermae; odoris peculiaris, laurini; saporis subaromatici, amari, pinguiusculi.

### Baccae Rhamni cathartici.

**Kreuzdornbeeren.**

*Baccae Spinæ cervinae.*

*Rhamnus catharticus* Linn. (*Rhamnus cathartica*), frutex in Germaniae sylvis haud rarus. Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. *Rhamnæae* syst. natur.

Baccae recentes maturae, globosae, pisi circiter magnitudine, laeves, nitidae, epidermide nigra, parenchymate rubro, semina duo ad quatuor ovalia, subtriangularia continent. Sapore amaro-acri gaudent.

Colligendae mense Octobri. Baccae recentes solummodo ad syrupum parandum inserviunt.

Cave, ne baccis *Ligustri vulgaris* intermixtae sint.

### Baccae Sambuci.

**Hollunderbeeren. Fliederbeeren.**

De planta materna vide: Flores Sambuci.

Baccae maturae orbiculares, apice depresso, epidermide violaceo-nigra, glabra, nitidiuscula, parenchymate succulento e violaceo-fusco; odore singulari et sapore grato acidulo. A baccis *Ebuli* facillime distinguuntur.

Solummodo baccae recentes ad parandum succum inspissatum inserviunt.

### \* Balsamum Copaivae.

**Copaivabalsam.**

Nonnullae species generis *Copaifera*, exempli gratia *C. multijuga*, *bijuga*, *Jaquini*, *oblongifolia* et cetera. Arbores sunt Americae meridionalis, prae-



sertim Brasiliae interioris et insularum Antillarum.  
Cl. X. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Caesalpineae  
(Leguminosae) syst. nat.

Balsamum truncis incisus effluit. Est pellucidum, limpidum, flavum, vel subfusco-flavum, facile inflammabile, oleoso-resinosum, odoris peculiaris, penetrantis, saporis oleosi, amariusculi, subacris et pond. specific. 0,950. In Spiritu Vini rectificatissimo, Aethere et oleis perfecte solubile est.

Unciae tres Balsami conquassatae cum Uncia una Liquoris Ammoniaci caustici mixtionem limpidam formare debent; Balsamum exaestuatum post evaporationem olei aetherei solummodo massam friabilem resinosa, non oleosa, relinquat; nonnullae guttae Balsami, in ferrum candens sparsae, nullum odorem terebinthinaceum exhalent.

## \* Balsamum Peruvianum.

### Perubalsam.

#### *Balsamum Indicum nigrum.*

*Myrospermum Pereirae* Boyle, arbor praesertim in Peru et Mexico indigena, Cl. X. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Papilionaceae (Leguminosae) syst. natur. Destillatione sicca (Theerschwehlung) corticis, trunci et ramorum obtinetur.

Est fluidum oleoso-resinosum, consistentiae syrupi, rubro-nigrescens, in massis non inflammabile, opacum, inperspicuum, in guttis diaphanum, vix tenax, tactu digitos inquinans, aëri expositum non exsiccans, saporis primum mitis, tum acris, aromatici, ingrati, odoris benzoiici, grati et ponderis specifici = 1,14 ad 1,16.

Connubium cum Oleis pinguibus majori copia admixtis respuit, cum Oleis aethereis misceri potest.

1000 Partes Balsami Peruviani 75 Partes Kali carbonici siccii neutralisare debent.

Sit in quinque usque sex Partibus Spiritus Vini rectificatissimi solubile, solummodo residuum parvum, floccosum, brunneum relinquens. Cum pari pondere Acidi sulphurici concentrati mixtum incalescat, et

post perfectam refrigerationem Aqua ablutum, totum in massam fere solidam indurescat, cui nullae partes unctuosae (Balsamum Copaivae, Oleum Ricini) admixtae sint.

### \* Balsamum vitae Hoffmanni.

**Hoffmann's Lebensbalsam.**

*Mixtura oleosa-balsamica.*

*Rp.* Olei Lavendulae,  
 „ Majoranae,  
 „ Caryophyllorum,  
 „ Macidis,  
 „ Cassiae cinnamomeae,  
 „ Citri, singulorum Scrupulum unum,  
 „ Rutae,  
 „ Succini rectificati, singulorum Guttas decem,  
 Balsami Peruviani nigri Drachmam dimidiam.  
 Spiritus Vini rectificatissimi Uncias decem.

Mixta in vitro clauso digerantur frigide per quadri-  
 duum, tunc filtrentur.

Serva in vitro, embolo vitreo instructo.

Sit limpidum, vix stramineum; odoris summe aromatici; saporis  
 paris urentis.

### Baryta sulphurica nativa.

**Schwerspath.**

*Spathum ponderosum. Terra ponderosa.*

Inservit ad praeparationem Baryi chlorati.

### \* Baryum chloratum.

**Chlorbaryum. Salzsaurer Baryt. Salzsaurer  
 Schwererde.**

*Baryta muriatica. Terra ponderosa salita.*

*Rp.* Barytae sulphuricae laevigatae Libras duas,  
 Carbonis vegetabilis subtilissime pulverati Libram  
 semis,  
 Olei Lini Uncias tres.



Intime mixta immitte in crucibulum e graphite confectum vel Hassiacum plane implendum et operculo tegendum. Tum igne primum blandiore, dein fortiore per horas tres urantur. Exime massam refrigeratam e crucibulo, tere, ut pulvis subtilissimus fiat, et sepone Unciam unam ejus. Ceteris admisce:

Aquae communis Libras octo,  
et adde calefactis:

Acidi hydrochlorati puri Uncias viginti,  
vel tantum ejus, ut Acidum paullulum praevaleat. Quae operatio sub divo perficienda est, cavens, ne gas evolvens respiretur. Filtra, elue residuum sedulo, et evapora fluidum, donec Librae tres supersint. Huic solutioni admisce tantum solutionis, ex Uncia una Baryi sulphurati et Unciis sex Aquae paratae, quantum requiritur, ut metalla immixta perfecte praecipitentur. Fluidum filtratum evapora ad siccum, solve residuum in:

Aquae destillatae tribus partibus,  
et admisce:

Acidi hydrochlorati puri  
tantum, ut hocce paullulum praevaleat. Liquor denuo filtratus in crystallos redigatur, quae collectae, elotae et bene siccatae in vase bene clauso serventur.

Format vel tabulas planas, decolores, diaphanas, quatuor-laterales, in angulis oblique truncatas, vel lamellulas odoris nullius, saporis ingrati, amari, acris et salsi, in Aqua facile, sed in Spiritu Vini rectificatissimo fere insolubiles. Aëri expositae non fatiscunt, exactuatae primum Aquam emittunt, tum calore aucto fusibiles sunt.

Solutio sit neutralis, nec Liquore Ammoniaci hydrosulphurati, nec Liquore Ammoniaci caustici perturbetur. Si solutio ope Acidi sulphurici diluti perfecte praecipitata est, fluidum a sedimento orto defiltratum in cochleari, e platina confecto calefactum, sine residuo avolet. Spiritus Vini rectificatissimus in praeparatum infusus, decantatus, et postea inflammatus flammam nec colore purpureo, nec flavo-rubro imbuat.

\* **Benzoë.****Benzoë. Wohlriechender Asant.***Asa dulcis.*

**Styrax Benzoë in Dryand.** Arbor Indiarum orientalium, praesertim in Java, Sumatra, Borneo. Cl. X. Ord. I. syst. Linn. — Fam. **Styraceae** syst. natur. Succus e cortice sauciato trunci et ramorum effluens, postea solis calore induratus.

Format frustula alba vel ochroleuca, conspicua, splendoris cerei, quae massae friabili, rubro-fuscae immersa sunt, vel ejusmodi glebas placentasve, crustis splendentibus rubro-flavis conglutinatas (Benzoë amygdaloides, quae optima est). Odoris est suavissimi, peculiaris, Vanillae similis, saporis similis, dulciusculi, os siccantis, ponderis specifici = 1,063 ad 1,092, calore facile liquescens, flamma laeta inflammabilis, et in Aethere maxima ex parte solubilis.

Benzoë tanto melior, quanto solubilior in Spiritu Vini rectificatissimo est. Frusta obscure-fusca, porosa, ligno intermixta, granis albidis sic dictis amygdalinis carentia, pro usu pharmaceutico non adhibeantur.

**Bismuthum.****Wissmuth. Aschblei.***Marcasita.*

Metallum plerumque nativum occurrens. Sit coloris subrubicundo-argentei, metallice splendens, plerumque amorphum, sed facile crystallos regulariter octaëdricas vel cubicas praebens; fracturae lamellosae; pond. spec. 9,83 ad 9,88; non nimis durum, facile in pulverem redigendum et facile fusibile. Calore usque ad albedinem aucto, volatile. In Acido nitrico facile et perfecte solubile est.

Plerumque metallis noxiis inquinatum, itaque ad usum pharmaceuticum depurandum est.



\* **Bismuthum nitricum praecipitatum.**

**Gefälltes oder basisch-salpetersaures Wismuthoxyd.  
Wismuth-Niederschlag.**

*Bismuthum hydrico-nitricum. Bismuthum subnitricum.  
Magisterium Bismuthi.*

*Rp.* Bismuthi venalis Uncias sedecim,  
Natri carbonici depurati Uncias duas,  
Sulphuris depurati Drachmas duas.

Bene mixta in crucibulum satis capaxingere, et igne leni sed per horam satis aucto, funde, interdum manubrio fumifugio agitans; tum eximatur Bismuthum crucibulo refrigerato, a scoriis ope Aquae sedulo purgetur, et tali modo pulverisetur, ut fragmenta magnitudinis lentis exoriantur.

*Rp.* Bismuthi, hac methodo depurati, Uncias duas,  
inmitte in cucurbitam satis magnam, quae

Acidi nitrici puri Uncias sex  
continet, et adde Acidi dicti sensim sensimque tantum, ut Bismuthum ope caloris perfecte solvatur. Tum dilue fluidum Aqua destillata sensim et caute tam diu, donec praecipitatum remanens non exoriatur. Si nihilominus praecipitatum exoriatur, copia sufficiens Acidi nitrici puri addenda est, ut praecipitatum resolvatur. Fluidum hoc modo dilutum et satis refrigeratum filtra per chartam bibulam albam, abluere filtrum Aqua destillata calida, parva quantitate Acidi nitrici puri admixti acidulata, evapora fluidum limpidum in patina porcellanea usque ad punctum crystallisationis, et repete hanc operationem tam diu, quam diu e fluido crystalli secerantur. Crystallos collectas tere in mortario porcellaneo cum tanta Aquae destillatae quantitate, ut puls tenuis existat, quam immisce in patinam porcellaneam, Aquae

bullientis destillatae Libras septem continentem, et agita mixta optime ope bacilli vitrei. Fluidum statim filtra a sedimento, quod Aqua destillata non nimis diu sed bene edulcorandum est, et sicca calore lenissimo.

Serva in vitris bene clausis.

Sit pulvis niveus, subcrystallinus, ex aciculis et lamellis constans, fere insipidus et inodorus, splendoris Argenti et reactionis acidulae. Magna copia Aquae majorem partem Acidi extrahit; si excandefactus est, Bismuthum oxydatum purum remanet.

Sit sine effervescentia et sine ullo residuo in Acido nitrico puro solubilis. Haec solutio diluta nec Acido hydrochlorato, nec Liqueuribus Natri sulphurici, Barytae nitricae, Argenti nitrici, Kali sulphurati cyanati praecipitetur. Liqueur Ammoniaci caustici, majore copia in praeparatum infusus non coerulestat. Praeparatum hoc modo obtentum semper ab Arsenico liberum est, et inquinatio arsenicalis hoc modo investiganda erit: Solutio nitrica praeparati Liqueure Ammoniaci hydro-sulphurati majore copia et in excessu admixto praecipitanda, et fluidum a sedimento defiltratum Acido hydrochlorato supersaturandum est. Praecipitatum forsitan obtentum in Acido nitrico puro solvendum, solutio, usque ad siccum evaporanda, et residuum in Acido hydrochlorato solvendum est. Si gas Acidi hydrothionici in solutionem hanc immisum, praecipitatum coloris citrini producat, Bismuthum nitricum praecipitatum Arsenico inquinatum est.

### \* *Boletus ignarius.*

*Feuerschwamm.*

*Agaricus quernus. Agaricus chirurgorum.*

*Polyporus fomentarius* Fries. — Fungus *Quercubus*, *Betulis*, *Fagis*, *Salicibus* et cet. frequenter inhaerens.

Fungi acaules, pulvinati, tenerrime porosi, superne cinerei cum margine albo, inferne albidii; insipidi; inodori. Mensibus Augusto et Septembri collecti, substantia superior durior, ac inferior fistulosa, cultri ope removeantur, pars media tenuior exsiccata vero tamdiu mallei ictibus lentescat, donec instar pellis *Rupicaprae* inter digitos deduci queat et igni amicissima, non flamma at serpente igne combustibilis sit.

Cave ne Kali nitrico impraegnatus sit.



## \* Boletus Laricis.

**Weisser Lärchenschwamm.**

*Agaricus albus.*

*Polyporus officinalis* Micheli, *Boletus Laricis* Jacq., *Polyporus officinalis* Fries, *Boletus purgans* Pers., fungus, truncis vetustis Pini Laricis, arboris Europae meridionalis, insidens, Cl. XXIV. Ord. Fung. syst. Linn. — Fam. Fungi syst. natur.

Ab exteriore cortice liberatus, in radiis solis decoloratus et ictibus mallei compressus est albus, levis, tenax, spongiosus, friabilis, sed nihilominus difficile pulverisandus; odoris fere nullius, et saporis primum dulciusculi, tum ingrati, amari.

Quo levior et albidior, eo melior est. Ab Anobiis corrosus removeatur.

## \* Boletus Laricis praeparatus.

**Zubereiteter Lärchenschwamm.**

*Agaricus albus praeparatus.*

*Rp.* Boleti Laricis decorticati Uncias quinque,  
Gummi Arabici pulverati Unciam unam.  
Cum sufficiente quantitate Aquae destillatae fiat  
pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur subtilem.

Serva in vase bene clauso.

Sit coloris subflavi, saporis amari.

## Bolus Armena.

**Armenischer Bolus.**

Invenitur in Persia et Armenia. Quae in Germania, Gallia vicinisque regionibus effoditur, non differt a genuina ex Armenia allata. — Argilla e luteo-rubra,

Ferro oxydato turgida, tactu pinguis et laevis, linguae adhaerens, trita splendens, mollis, depingens est. Aqua superfusa in frustula et pulverem dissiliens, cum acidis non effervescens; aspirata argillam redolet; saporis sit terreo - subausteri.

### \* **Borax.**

#### **Borax.**

#### *Natrum boracicum.*

Rarius depuratione Boracis nativae (Tincal, Paunxa), plerumque decompositione Natri carbonici ope Acidi boracici nativi (Sassolin) paratur.

Plerumque in frustis irregularibus, decoloribus, rarius in prismatibus magnis, subpellucidis, subfatiscentibus, duriusculis, oblique rhombicis et irregulariter sex- usque octolateralibus occurrit. Est solubilis in 12 ad 16 partibus Aquae frigidae, et in 2 partibus Aquae calidae, insolubilis in Spiritu Vini rectificatissimo; odoris nullius, saporis subsalsi, dulciusculi, refrigerantis, alcalini. Igni exposita, primum facile liquescens, tum in massam albidam, aridam, spongiosam (Borax usta), denique in vitrum pellucidum (Borax vitrificata) abit.

Solutio sit reactionis alcalinae, non acidae vel neutralis, et nec Tinctura Gallarum, nec Liquore Natri carbonici praecipitetur. Pulvis Boracis, Acido sulphurico concentrato superfusus, nec effervescat, nec vapores Acidi hydrochlorati eructet.

### **Butyrum.**

#### **Butter.**

Pinguedo animalis, e lacte vaccino separata.

Sit albo-flavens, odoris expers, saporis blandi, recens, a sero liberum; minime salsum, rancidum vel pigmentis coloratum.



## Cadmium sulphuricum.

Schwefelsaures Cadmiumoxyd.

*Rp.* Acidi nitrici puri Uncias quinque.

Immitte in cucurbitam vitream et adde:

Cadmii in frustulis tantum,

quantum ope caloris solvitur. Circiter Uncia una metalli sufficit.

Solutioni filtratae admisce:

Acidi sulphurici concentrati puri Unciam unam, et evapora in patina porcellanea tam diu, quam vapores acidi eructantur, cavendo, ne aestus sub finem usque ad ignitionem salis exorti augeatur.

Residuum solve in:

Aquae destillatae calidae Partibus duabus, filtra, si necessarium est, solutionem et evapora usque ad punctum crystallisationis. Crystallos siccitas serva in vitro bene clauso.

Exhibet crystallos prismaticas, decolores, pellucidas, in aëre subfatiscentes, in Aqua facile solubiles. Sunt odoris nullius et saporis metallici, nauseosi, styptici.

Si solutio salis, nonnullis guttulis acidi acidulata, ope Aquae hydrosulphuratae perfecte praecipitata est, fluidum, a sedimento citrino defiltratum, evaporatione nullas partes fixas relinquat.

## \* Calcaria hypochlorosa.

Unterchlorigsaurer Kalk. Chlorkalk. Oxydirtsalzsaurer Kalk.

*Calcaria chlorata. Calx oxymuriatica. Calcaria oxymuriatica.*

Praeparatum officinarum chemicarum e Calcaria usta extincta, cui gas Chlorum immittitur, obtentum.

Serva in vasis vitreis, bene clausis, contra lucem munitis.

Est pulvis sordide-albidus, grumosus, siccus, odoris debilis peculiaris, Chloro haud dissimilis, saporis styptici, acris, ingrati; in Aqua maxima ex parte solubilis, relicta Calcaria hydrata. In aëre humescit.

Acidis admixtis Chlorum largissime eructet. Sufficiens quantitas Chlori extricabilis sequenti methodo exploratur: Drachma una et dimidia Ferri sulphurici oxydulati puri solvantur in duabus Unciis Aquae destillatae, et admisceatur Drachma una Calcariae hypochlorosae. Tum addatur tantum Acidi hydrochlorati, ut reactio acida exoriatur. Portiuncula fluidi, a sedimento defiltrata, admixto Liquore Kalii ferrocyanati rubri ne coerulescat.

Solutio, si non aliter praescribitur, non nisi filtrata dispensetur.

### \* Calcaria phosphorica.

**Phosphorsaurer Kalk.**

*Rp.* Calcii chlorati Uncias duodecim.

Solve in:

Aquae destillatae bullientis Libris quatuor.

Solutioni filtratae admisce sensim instillando:

Natri phosphorici Uncias viginti,

in Aquae destillatae bullientis Libris tribus cum dimidia solutas. Sedimentum bene ablutum sicca et serva.

Est pulvis subcrystallinus, albissimus, inodorus, insipidus, in Aqua non solubilis. In Acido hydrochlorato diluto facile solvatur.

### \* Calcaria usta.

**Gebrannter Kalk. Lebendiger Kalk.**

*Calx viva.*

In officinis propriis ustione Calcariae carbonicae obtinetur.

Est massa albida vel flavescens-grisea, compacta, facile friabilis, parum caustica, fere infusibilis, fixa; pond. specif. 2,3; saporis alcalini; cum Aquae dimidia parte celeriter incalescens, penitus in pulverem subtilissimum dilabens, et sic orta Calcaria hydrata sit in 600 ad 700 partibus Aquae solubilis. Solutio sit reactionis alcalinae.

In Acido hydrochlorato sit sine vel solummodo minima effervescencia fere penitus solubilis.

Serva in vasis optime clausis nec ad longum tempus.



## \* Calcium chloratum.

**Chlorcalcium. Salzsaurer Kalk. Fixer Salmiak.**

*Calcaria muriatica. Sal Ammoniacum fixum.*

*Rp.* Calcariae carbonicae purae quantum vis.

In patinam porcellaneam immissam satura cum  
Acidi hydrochlorati puri quantitate sufficiente.

Solutionem filtratam evapora usque ad siccum, sub  
finem operationis spatula porcellanea agitans. Sal ob-  
tentum denuo solve, filtra et evapora ad siccum.

Pulvis albus; saporis acris, amari, salsi; aëre expositus celeriter  
deliquescent; excandefactus fusilis. Sit in Aqua et Spiritu Vini recti-  
ficatissimo perfecte et facile solubilis, et solutio nec Aqua hydrosul-  
phurata, nec Tinctura Gallarum praecipitetur.

## \* Camphora.

**Campher.**

*Persea Camphora, Laurus Camphora*  
Linn., *Camphora officinarum* Nees ab Esenb.,  
arbor Chinae, Cochinchinae et Japaniae, Cl. IX. Ord. I.  
syst. Linn. — Fam. Laurineae syst. natur.

Sublimatione e trunco, ramis et foliis obtinetur, tum  
in Europa, admixta Creta vel Argilla, reiterata subli-  
matione depuratur.

Occurrit in placentis orbicularibus, supra convexis,  
infra concavis, duas circiter libras ponderantibus. Est  
aspectu glaciei similis, crystallina, alba, splendens,  
pinguiuscula, pellucida, quamquam tenax, tamen fragilis,  
aëre plane avolans, facile liquescens, flamma lucida  
fumoque denso sine residuo comburens, in vasis clausis  
exaestuata volatilis, in Aqua parcissime, facile in Spiritu  
Vini rectificatissimo, Aetheribus, Acido acetico, Oleis  
aetheris et pinguibis solubilis, pond. specif. 0,986;  
odori peculiaris, valde penetrantis; saporis aromatici, acris.

Serva in vasis optime clausis.

Camphora, admixto Spiritu Vini rectificatissimo pulverisanda est.

Dryobalanops Camphora Colebrook., Shorea camphorifera Roxb. exhibet Camphoram Sumatranam perraro obviam.

## \* Cantharides.

### Spanische Fliegen.

*Lytta vesicatoria* Fabr. (Meloë vesicatorius, *L. Cantharis officinalis*) Insecta Coleoptera, Fam. Heterolytri.

Annis siccis et calidioribus in tota Europa meridionali, ubi gregatim folia Fraxini, Ligustri, Syringae, Caprifolii, Sambuci et aliarum plantarum depascunt, colliguntur.

Insecta sunt tota, 8 ad 10 lineas longa, 2 ad 3 lineas lata, mollia, subglabra, splendentia, ex aureo-viridia; antennis nigris, filiformibus, distantibus; odoris ingrati, virulenti, penetrantis, non ammoniacalis; saporis primum mitis, postremo acerrimi, caustici.

Ne major earum copia in vasis ferreis, stanno obducto optime clausis servetur. Haud ineptum est, nonnullas guttas Aetheris antea in vas perfecte siccum instillare.

Ab Anobiis paniceis Acarisque, quibus facillime corroduntur, cautissime sunt defendenda. Sint integra, non corrosa, perfecte sicca.

Pulvis Cantharidum sit viridescens, punctis aureis intermixtus, non lanuginosus.

## \* Capita Papaveris.

### Mohnköpfe. Mohnkapseln.

#### Capsulae Papaveris.

*Papaver somniferum* Linn, planta annua orientalis, apud nos culta; Cl. XIII, Ord. I Linn. — Fam. Papaveraceae syst. natur.



Sunt capsulae magnitudinis nucis Juglandis, subglo-  
bosae, vel ovato oblongae, recentes glabrae, odoris  
narcotici; siccatae fere inodoraе, rugosae, flavo-testaceae,  
coronatae, stigmate persistente, disciformi, lato; de-  
cemradiatae, sub stigmate decem poris apertae, saporis  
nauseoso-amari.

Ante maturitatem perfectam cum seminibus colli-  
gendaе et leni calore siccandae sunt.

### \* Caragheen.

**Irländisches Moos. Perlmoos.**

*Caragaheen. Lichen Irlandicus. Fucus seu Muscus  
Caragheen.*

*Fucus crispus* Linn. *Sphaerococcus cris-  
pus* Achard. *Chondrus crispus* Stackhouse  
et St. Grev. planta ad littora maris Atlantici et  
septentrionalis, praesertim in Anglia, Hibernia, Dania  
et Francogallia frequens Cl. XXIV. Ord. Algae syst.  
Linn. — Fam. Algae syst. natur. Frons (thallus)  
plana, cartilaginea, recens flexilis, sicca cornea, dichotoma,  
marginibus saepe undulatis, laciniis variae latitudinis,  
recens rubra, plus minusve violacea aut subviridis,  
radiis solis exsiccata sordide luteo-alba, odoris debilis,  
saporis valde mucilaginosi. Continet vestigia Jodii.

Drachma una sufficit pro decocto valde mucilaginoso Unciarum sex.

### \* Carbo animalis.

**Thierkohle. Fleischkohle.**

*Carbo Carnis.*

*Rp.* Carnis vitulinae, a pinguedine liberae, in frustula  
dissectae, cum tertiae circiter parte ossius-  
colorum, quantum vis.

In vase idoneo modico calore torreatur, quamdiu vapores extricantur. Tum residuum in pulverem redigatur.

Serva in vasis vitreis probe clausis.

Sit pulvis e fusco niger, paullulum nitens; odoris vix empyreumatici; in aestu rutilo sine flamma excandescens.

Cum Acido hydrochlorato solutionem praebet, quae Calcariam phosphoricam prodat.

### \* Carbo Spongiae.

**Schwammkohle. Gebrannte Schwämme.**

*Spongiae ustae. Spongia officinalis tosta.*

Spongiae marinae, diligenter a lapidibus et sordibus liberatae, in crucibulo Hassiaco, operculo foramine parvo instructo, et argilla lutato urantur, donec fumus e foramine exire penitus desierit. Tum vas ab igne deponatur, et residuum carboneum refrigeratum, tritum et per cribrum transmissum, servetur usui.

Serva in vitro obturato.

Sit pulvis niger; odoris empyreumatici; saporis salsi; nec valde ponderosus, nec cum lapidibus spongiarum adulteratus.

### \* Carbo vegetabilis.

**Holzkohlen.**

### \* Carbo vegetabilis praeparatus.

**Gereinigte Kohle.**

*Carbo purus.*

*Rp.* Carbonum de ligno levi quantum tibi conveniat. Incandescant, donec nullam amplius flammam largiantur, et extinguantur in vase terreo clauso. A cineribus, follis flatu ope, mundati et adhuc calentes, in pulverem illico contendantur.



Serva in vitris probe obturatis.

Sit pulvis niger, siccus, insipidus; in aestu rutilo sine flamma incandescat.

## Carboneum sulphuratum.

**Schwefelkohlenstoff. Schwefel-Alcohol.**

*Alcohol Sulphuris.*

Praeparatum officinarum chemicarum, combustione carbonis candentis in vaporibus Sulphuris obtentum.

Est liquor limpidus, coloris expers, valde volatilis, inflammabilis, lucem maxime refringens, Chartam exploratoriam non mutans; odoris nauseosi, penetrantis, Acido hydrosulphurato subsimilis; saporis acris pungentis. In Aquae aegerrime, vix, sed facillime in Spiritu Vini rectificatissimo, Aethere, Oleis aethereis et pinguibus solvi potest.

Sit perfecte volatilis, ponderis specifici 1,26 usque ad 1,27 = 35° usque ad 36° Ar. Bk. Aq. grav. et Cerussa, cum eo conquassata, colorem nigrum non assumat.

## \* Cardamomum minus.

**Kleiner Cardamom.**

Elettaria Cardamomum White et Matoni, Alpinia Cardamomum Roxb., planta perennis palustris in Malabaria, Ceylon et Coromandel, Cl. I. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Scitamineae (Amomeae, Zingiberaceae) syst. natur.

Semina parva, lineam longa, subnigra, interdum fusca, subtriangularia, rugosa; saporis fortis, fervidi, aromatici et odoris penetrantis camphoracei; in capsula fragili, quasi papyracea, membranacea, obtuse-triquetra, triloculari, utrinque attenuata, 4 ad 6 lineas longa, pallide griseo-flava.

Semina, capsulis exenta, nunquam emantur.  
 Serva in vasis optime clausis, pulverem in vitro.  
 Cardamoma sic dicta longa, sicuti Javanica, rotunda, minus  
 aromatica, semper rejiciantur.

### \* Caricae.

#### Feigen.

*Ficus Carica* Linn., arbor Asiae et Europae  
 calidioris, apud nos in hibernaculis. Cl. XXI syst.  
 Linn. — Fam. Sycoideae syst. natur.

Receptacula sunt cum seminibus plantae nominatae,  
 unicuique nota.

Ne sint nimis siccae, nigrescentes, acidulae, minime ab insectis  
 corrosae.

### \* Caryophylli.

#### Gewürznelken, Gewürznägelchen.

#### *Caryophylli aromatici.*

*Eugenia caryophyllata* Thunberg, *Caryo-*  
*phyllus aromaticus* Linn., arbor in insulis Mo-  
 luccis indigena, in India occidentali culta, Cl. XII.  
 Ord. I. syst. Linn. — Fam. Myrtaceae syst. natur.

Flores involuti siccati, calyx est quadridentatus,  
 compresso-teretiusculus, obtusus, petala sunt quatuor,  
 adhuc clausa, stamina et stylum includentia. Sunt fusco-  
 nigri; odoris penetrantis, grati; saporis valde aromatici,  
 fervidi, acris, amariusculi.

Sint ponderosi et inter digitos pressi, exsudent oleum aethereum.  
 Aridos, pallidos et corrugatos rejice.

Serva in vasis optime clausis, pulverem in vitris.



## \* *Castoreum Canadense.*

**Englisches oder Canadisches Bibergeil.**

*Castoreum Anglicum.*

*Castor Fiber* Linn., Cl. *Mammalia*, Ord. *Glires*.

Folliculi sunt plerumque geminati, ceterum structura *Castoreo Moscovitico* similes, plerumque tamen minores, fere oblongo-cuneiformes, compressi, rugosi, tantum duos pollices longi, 8 ad 10 lineas crassi, medio cavo carentes, membrana non in 3 ad 4 lamellas separari potest. Massa, in iis inclusa, *Castoreum Anglicum*, est aurantiaco-fusco-rubra, compacta, durior *Castoreo Moscovitico*, in fractura splendens. Odor et sapor *Castoreo Moscovitico* quidem similes sunt, sed odor debilior, potius nauseosus, minus gratus; sapor plerumque amarior, tamen minus aethereo-acer.

Folliculi factitii, massa resinosa repleti, qui sunt odoris vel nullius, vel debilioris et alieni, facile distinguendi et rejiciendi sunt.

Serva in vasis bene clausis.

Solutio alcoholina *Castorei Moscovitici*, Aquã præcipitata, lactescit, tum Liquore Ammoniaci caustici mixta, exhibet fluidum fere perfecte clarum, solutio alcoholina *Castorei Canadensis*, eodem modo tractata, colorem rubro-brunneum assumit, et sedimentum exortum, tantum ex parte et difficulter resolubile est.

## *Castoreum Moscoviticum.*

**Russisches oder Sibirisches Bibergeil.**

*Castoreum Sibiricum.*

*Castor Fiber* Linn., animal *Russiae*, *Poloniae*, *Americae mediae* et *borealis*, ad ripas fluminum et lacuum vivens, Cl. *Mammalia*, Ord. *Glires*.

Folliculi *Castorei Moscovitici*, qui plerumque solitarii, rarius geminati venales occurrunt, sunt ad tres pollices longi, duos pollices lati, pollicem et dimidium

crassi, pyriformi-ovati, basi rotundati, glabri, exsiccationi in fumo magis vel minus fusco-nigri, non pilosi; membrana coriacea in tres vel quatuor lamellas fissibilis est. Folliculi, si massa satis exsiccata est, in medio cavum praebeant, ab exsiccatione ortum, quo Castoreum Anglicum caret.

Massa interna, Castoreum Moscoviticum, est solida, recens flavo-fusca, pinguiuscula, siccata fusca, friabilis odoris fortis, peculiaris, potius grati quam nauseosi, cerebrum gravantis, et saporis amariusculo-acris, fauces diu vellicantis. In Aqua parum, in Spiritu Vini rectificatissimo fere penitus solubilis est.

Serva in vasis bene clausis.

Castoreum Polonicum, Bavaricum, Bohemicum tanti, quanti Moscoviticum, aestimandum est.

## Catechu.

**Catechu. Japanische Erde.**

*Terra Japonica. Terra Catechu.*

Mimosa Catechu Linn. Acacia Catechu Willd. et aliae species Acaciae, arbores Indiae orientalis. Cl. XXIII. Ord. Monoëcia. — Fam. Leguminosae (Mimoseae).

Areca Catechu Linn. (Areca Guvana Nees ab Esenb. Areca Betel Fée). Cl. XXI, Ord. Monadelphia. — Fam. Arecinae. Palma Cochinchinae et Chinae incola.

Nauclea Gambir Roem. et Sch. Uncaria Gambir Hunt. Roxb. Cl. V. Ord. I. — Fam. Rubiaceae. Planta Sumatrana.

Bengalen-Catechu, quod majoris pretii est, exhibet glebas oblongo-rotundas, circiter tres pollices



longas, duos pollices latas, pollicem et dimidium crassas, valde asperas, tactu terrae similes, sordide griseo-brunneas, in fractura badias, striis lucidioribus percursas vel variegatas.

Bombay-Catechu praebet glebas planas, irregulares, nonnullos pollices latas, dimidium ad unum pollicem crassas, obscure vel laete rubicundo-brunneas, in fractura colori Cacao similes et nitoris expertes. Sunt ceterum asperae, solidae, friabiles, duriores et ponderosiores quam Bengalen-Catechu.

Simile extractum, quod Gambir dicunt, e foliis Naucleae Gambir obtentum, exhibet frusta plerumque quadrangularia, saporis primum valde amari, adstringentis, tum dulciusculi.

Catechu sit saporis valde adstringentis, partibus arenosis non intermixtum, et fere penitus in Aqua et Spiritu Vini rectificato solubile. Solutio Liquore Ferri sesquichlorati colore viridi-nigro, non coeruleo-nigro, praecipitetur.

### \* Cera alba.

#### Weisses Wachs.

Cera flava liquefacta vel radiis solis, sub frequente adspersione Aquae frigidae (Nasenbleiche), vel ope Chlori aquosi (chemische Bleiche; Schnellbleiche) decoloratur.

Est subdiaphana, splendoris proprii debilis, magis dura, fragilis, minus odora neque tam perfecte et facile liquescens, quam Cera flava.

Sit candida. Inquinatio cum sevo sine dubio rarissima est, sebum forsitan fraudulenter immixtum facile in Aethere frigido solubile est.

### \* Cera flava.

#### Gelbes Wachs.

Apis mellifica Linn., Cl. Insecta, Ord. Hymenoptera. Ab iisdem e polline florum colligitur,

productum est organicae vitae apium, e saccharo, excretionem oxygenii, exortum.

Obtinetur eliquatione favorum antea melle privatorum lenis caloris ope et coctione cum Aqua.

Occurrit in placentis orbicularibus magnis, crassis, varii ponderis. Est subtenax, fracturae granulosa, in frigore fragilis, jam manus calore glutinosa; calore leni liquescens, consistentiae oleoso-unguinosa, inter resinas et sebum mediae; pond. specif. 0,960 ad 0,965; odoris peculiaris mellei; saporis balsamici, debilis, proprii.

Cera liquefacta sedimentum vix ullum deponat, Cera accensa nullum odorem Acidi sulphurosi spargat. Sit in Oleo Terebinthinae perfecte solubilis. Spiritus Vini rectificatissimus frigidus, cum Cera digestus, post evaporationem extracti residuum nullum relinquat.

## Cerasa acida.

Saure Kirschen.

*Fructus recentes Cerasi.*

Prunus Cerasus Linn. Cl. XII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Rosaceae-Amygdaleae syst. natur.

Succus fructuum recentium inservit ad praeparationem Syrupi Cerasorum.

## Ceratum Aeruginis.

Grünspan-Cerat. Grünes Wachs.

*Cera viridis. Ceratum viride. Emplastrum viride.*

*Rp.* Cerae citrinae Libram unam,  
Resinae Pini Uncias sex.

In sartagine cuprea calore leni liqua, dein ab igne remotis adde:

Terebinthinae communis Uncias quatuor,



et per stupam colatis immisce :

Aeruginis pulverati Unciam unam.

Effunde in capsulas chartaceas, cera vel oleo imbutas, quadratas.

Sit viride, consistentiae cerae.

### **Ceratum Cetacei album.**

**Weisses Walrath-Cerat. Walrath-Pflaster.**

*Emplastrum Spermatis Ceti.*

*Rp.* Cerae albae Uncias duas et dimidiam,

Cetacei Unciam unam,

Olei Provincialis Uncias quinque.

Leni igne liquata et mixta effundantur in capsulas chartaceas quadratae formae.

Sit album, molliusculum; odoris oleosi-cerei, non rancidi.

### **\* Ceratum Cetacei rubrum.**

**Rothes Walrath-Cerat. Lippen-Pomade.**

*Ceratum labiale.*

*Rp.* Olei Provincialis Uncias quatuor et dimidiam,

Radiciis Alcannae Drachmas tres.

Digere in vitro per aliquod horas in balneo aquae saepe agitando, tum exprime et filtra.

Oleum tinctum misce leni calore in patina porcellanea cum:

Cerae albae Unciis quatuor et dimidia,

Cetacei Drachmis tribus.

Denique adde:

Olei Caryophyllorum Guttas sexaginta.

Effunde in capsulas papyraceas quadratae formae.

Serva in vasis bene clausis.

Sit purpureum; consistentiae densioris; odoris Olei Caryophyllorum.

\* **Ceratum Resinae Pini.****Gelbes Wachspflaster. Harz-Cerat.***Emplastrum citrinum. Emplastrum Cerae. Ceratum Resinae Burgundicae. Emplastrum ad fonticulos.*

*Rp.* Resinae Pini (Burgundicae) Libram unam,  
 Cerae citrinae Libras duas,  
 Sevi vervecini,  
 Terebinthinae laricinae, singulorum Libram  
 dimidiam.

Omnia liquando et colando mixta effundantur in capsulas chartaceas quadratae formae, Oleo Provinciali antea oblitas.

Serva ut Emplastrum adhaesivum.

Sit luteum, molliusculum, tenax; odoris resinosi; tenacissime agglutinans.

\* **Cerussa.****Bleiweiss.**

Praeparatum officinarum propriarum chemicarum, olim plerumque methodo Hollandica, nunc praecipue methodo Anglica (Francogallica) obtentum.

Est Plumbum carbonicum, Plumbo oxydato hydro-tico mixtum.

Est massa alba, ponderosa, cohaerens, amorpha, vel lamellosa, in tabulas vel conos formata, facile friabilis, digitos inquinans, in aëre non mutabilis, in Aqua fere insolubilis, inodora; saporis debilis, dulciusculi, nauseosi, os exsiccantis.

Ope tubuli ferruminatorii in prunis excandefacta ad granum sic dictum metallicum reducatur; tubulo vitreo calefacto vix colorem griseum vel nigrescentem assumat. In Acido nitrico diluto sit leni calore perfecte, vel exiguum residuum relinquens, solubilis, et haec solutio, Aqua hydrosulphurata copiose admixta, et praecipitato exorto defiltrato, soluto Ammoniaco oxalico vix turbetur.



\* **Cetaceum.****Walrath.***Sperma Ceti.*

**Physeter macrocephalus** Linn. animal, Oceanum inhabitans, Cl. Mammalia, Ord. Cetacea.

Inter membranas cerebri et in ductibus subcutaneis dorsalibus corporis reperitur, et elutione et pressione ope alkali obtinetur.

Occurrit in frustis compactis, albissimis, subdiaphanis, irregularibus, sebaceis, tactu lubricis, lamellosis, friabilibus, facile liquescentibus, in Spiritu Vini calido, Aethere et Oleo solubilibus; odoris debilis; saporis blandi.

Ne flavum, neve rancidum sit. Charta bibula, cum eo trita, maculas pinguas non recipiat.

\* **Charta cerata.****Wachspapier.**

Paratur impregnando chartam scriptoriam albissimam lege artis Cera alba.

\* **Chinioideum.****Chinoidin. Braunes amorphes Chinin.***Chininum amorphum fuscum.*

Praeparatum officinarum chemicarum, e lixiviis fuscis, amaris, post praeparationem Chinini sulphurici remanentibus, obtentum.

Sit massa fusca, amorphica, nitens, sicca; saporis peramari; in Aqua parcissime, in Spiritu Vini rectificatissimo et in Acido sulphurico diluto perfecte solubilis.

Si in catino platinaceo in cinerem vertitur, et cinis Acido nitrico diluto digeritur, fluidum defiltratum, Aqua hydrosulphurata admixta, nullo modo colore nigro perturbetur,

## Chininum hydrochloratum.

**Chlorwasserstoffsaires oder salzsaures Chinin.**

*Chininum muriaticum.*

*Rp.* Baryi chlorati Drachmas quinque,  
solve in:

Aquae destillatae fervidae Unciis viginti.

Admisce sensim sensimque:

Chinini sulphurici Uncias duas.

Tum expone per horae quadrantem calori balnei aquae, filtra fluidum adhuc calidum et sepone loco frigido ad crystallisationem, crystallos Aqua bene ablutas sicca.

Serva in vase bene clauso.

Sint crystalli aciculares, radiatim dispositae, albissimae, splendoris sericei, saporis peramari. Sint in Aquae bullientis viginti Partibus solubiles, et solutio nec Liquore Barytae nitricae, nec Acido sulphurico diluto perturbetur. Ceterum, quod attinet ad puritatem chemicam, Chinini sulphurici instar se habeat.

## \* Chininum sulphuricum.

**Schwefelsaires Chinin.**

Praeparatum officinarum chemicarum e Cortice Chinae regio.

Format crystallos niveas, sericeo-nitentes, tenuissimas, leves, subflexibiles, aciculares, systematis obliqui rhomboidici, saporis peramari. Loco obscuro usque ad 80° R. calefactae, lumen Phosphoro simile emittunt, in aëre sicco paullulum fatiscunt; sunt in septingentis quadraginta Partibus Aquae frigidae, triginta Partibus Aquae bullientis, sexaginta, vel, ut alii ajunt, octoginta Partibus Spiritus Vini rectificatissimi, in Aethere difficile sed perfecte solubiles

Solutio spirituosa praeparati Tinctura Gallarum commixta sedimentum copiosum griseo-album edat.

Chininum sulphuricum exaestuatam facile liquescat, tum colorem rubicundum assumat, et denique carbonem edat, qui aestu sufficiente sine ullo residuo perfecte comburatur. Nec Acido sulphurico humefactum colorem rubicundum, nec Acido nitrico colorem primo



flavum, tum viridem, denique obscure fuscum assumat. Cum Spiritu Vini rectificatissimo absoluto contritum, et admixtis nonnullis guttulis Acidi sulphurici solutionem limpidam edat, etiam in Aqua bulliente, Acido sulphurico acidulata, colore coeruleo opalescente perfecte solubile sit, nec in solutione refrigerata partes sebosae innatent.

Chininum sulphuricum, Liquore Ammoniaci caustici digestum, sedimentum relinquit; liquor, a sedimento dicto defiltratus, et Acido hydrochlorato neutralisatus, nullum praecipitatum album edat. Cum mixtione, e Partibus aequalibus Aetheris et Liquoris Ammoniaci caustici parata, conquassatum, nulla vel minima vestigia pulveris albidii inter ambos liquores secreta praebet.

## \* Chloroformylum.

**Chloroformyl. Formylchlorid.**

*Formylum perchloratum. Chloroformium.*

**Rp.** Calcariae hypochlorosae Uncias quinquaginta,  
Aquaë Uncias centum,  
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias tres.

In pulvem aequabilem intime mixtas immitte in vesicam destillatoriam cupream vel ferream, usque ad dimidiam partem iis implendam, et, alembico imposito et luto farinaceo bene siccato, adapta excipulum satis amplum, vitreum eo modo, ut aër non perfecte excludatur, et institue, excipulo semper bene refrigerato, igni primum blando tum caute sensim satis aucto, distillationem. Simulac primae partiunculae fluidi transierunt, refrigera, si necessarium est, alembicum pannis humidis, remove ignem, et tum demum denuo institue, ut supra dictum, distillationem, si e tubulo refrigeratorio non amplius radius non interruptus elicitur. Remove excipulum, si circiter Unciae octo in eo contentae sunt. Destillatum, quod fere semper Chartam exploratoriam coeruleam rubefacit vel decolorat, conquassa optime portiunculis Calcariae hydratae, infunde in vas vitreum, cylindricum, altum et angustum, et duobus stratis fluidi

exortis, separa superius ope siphonis vel pipettae, infunde inferius supra dimidias partes ponderis ejus Calcii chlorati, quod in retorta contentum est, et destilla calore leni usque ad siccum.

Serva in vitris optime clausis loco frigido.

Est fluidum decolor, limpidum, oleosum, ebulliens usque ad 49° R. calefactum; odoris peculiaris, grati, aetherei; saporis aetherei, urentis, dulciusculi, in Aqua aegre, facile in Spiritu Vini rectificatissimo, Aethere et Oleis aethereis solubile; difficillime inflammabile.

Sit ponderis specifici 1,515 = 56° Ar. Bk. Aq. grav. et Chartam exploratoriam coeruleam nec rubefaciat nec decoloret, admixto Acido sulphurico non brunnescat, Aqua conquassatum non liquescat et solutione Argenti nitrici non perturbetur.

## Cinchoninum sulphuricum.

### Schwefelsaures Cinchonin.

Praeparatum officinarum chemicarum, e Cortice Chinae fusco obtentum.

Exhibet crystallos prismaticas, majores, rectangulares, decolores, duras, in aëre persistentes, interdum foliaceas. Sunt nitoris matricis perlarum, saporis amari sed mitioris quam Chinini sulphurici, odoris nullius, in Aqua difficile in Aethere minime solubiles.

Sit in septem Partibus Spiritus Vini rectificatissimi perfecte solubile, et in lamina platinacea excandefactum carbonem edat, aestu fortiori perfecte comburendum.

## \* Coccionella.

### Cochenille.

Coccus Cacti Linn., Insecta Hemiptera, familia Coccozum.

Inhabitat Opuntiam coccinelliferam aliasque Opuntiae species.

Insecta feminea, fumo necata et in sole siccata, praesertim e Mexico occidentali afferuntur.



Sunt parva, transversatim rugosa, atro-purpurea vel grisea; pulvere albido (Talco Veneto) adspersa praebent rudimenta conspicua pedum. Pigmenti solummodo pars minor in Spiritu Vini rectificatissimo solubilis est. Pulvis est coloris coccinei.

Plumbum metallicum, fraudulenter immixtum, trititando cum Aqua separatum, facile detegendum est.

## Coffeïnum citricum.

### Citronsaures Coffeïn.

Praeparatum officinarum chemicarum, e fructibus Coffeae Arabicae obtentum.

Exhibet crystallos aciculares, longas, concentrice adunatas.

Sunt splendoris sericei et in Aqua facile solubiles.

In lamina platinacea excandefactae carbonem relinquunt, aestu fortiori perfecte delendum.

## \* Collodium.

### Collodium.

*Rp.* Gossypii, optime a quisquiliis mundati et in fragmenta minima concisi, Scrupulos duos.

Immerge, ut eluatur, solutioni e Natri carbonici crystallisati Parte una et Aquae destillatae Partibus quadraginta octo paratae, tum perfecte elotum et siccatum immitte in patinam porcellaneam capacitatis circiter librarum duarum Aquae, calefac in balneo aquae tam diu, donec perfecte fervida sit, exsicca celeriter, et immitte in eandem patinam calefactam siccam:

Kali nitrici depurati pulverisati et antea optime siccati

Unciam unam et Scrupulos sedecim,

infunde:

Acidi sulphurici Nordhusani Uncias duas cum dimidia.

Agita per momentum miscelam bacillo vitreo, ut gossypium ubicunque fluido imbuatur, et exacte stent omnia per tres ad quatuor sexagesimas partes horae. Tum imple patinam Aqua, defunde et repete hanc operationem tam diu, donec fluidum defusum Chartam exploratoriam coeruleam non rubefaciat. Denique sicca gossypium fulminans sic praeparatum caute lenissimo calore.

Unam partem hujus humecta cum:

Aetheris, ab Aqua liberi, Partibus sex,  
et admisce:

Spiritus Vini absoluti Partes duas.

Spatio horae praeterlapso, dilue massam gelatinosam cum:

Aetheris Partibus duodecim.

Serva in vitro optime clauso.

Sit fluidum coloris expers, subpellucidum, paullulum opalescens et turbidum, spissiusculum, valde inflammabile.

Aëri expositum velociter avolet, massam vitro similem relinquens. Chartam exploratoriam non permutet.

## \* Colla Piscium.

*Hausenblase.*

*Ichthyocolla.*

Acipenser (Accipenser) Sturio, Huso, stellatus Linn., et aliorum piscium cartilagineorum maris Caspici, maris nigri et fluvii Wolga, ex ordine Chondropterygiorum.

Tunica est interior vesicae natatoriae, maceratione ab exteriori tunica liberata, preli ope compressa et siccata.

Venalis occurrit vel in lamellis tenuibus, planis, diaphanis, matricis margaritarum instar micantibus, vel in



annulis contortis, lyriformibus, corneo-diaphanis, duris, tenacibus. Est coloris flavido-albi; odoris expers; saporis fatui, gelatinosi, debilis. Coquendo cum Aqua, sicuti Spiritu Vini rectificato, fere tota solvatur, et solutio refrigerata gelatinam spissam praebeat.

Flavens, fusca et in Aqua parum vel haud solubilis removeatur.

### \* Colocynthis.

**Coloquinte. Coloquintenäpfel.**

*Poma Colocynthisidis.*

Cucumis Colocynthis Linn., planta annua, praecipue in Asia minore et Syria obvia, unde fructus ad nos advehuntur, Cl. XXI. Ord. VIII. syst. Linn. — Fam. Cucurbitaceae syst. natur.

Pepo magnitudinis et figurae pomi, plerumque ab exteriore cortice mundatus, cortice interiore albo, spongioso. Fructus continent in sex loculamentis semina multa, sordide-albida, ovato-oblonga, utrinque compressa. Semina exime. Est saporis amarissimi, nauseosi.

Caute serva.

Fructus fusciscentes et duriores sunt rejiciendi, sicuti Colocynthises octoloculares, minus amarae et multo minores, ex ignota adhuc specie plantarum collectae.

### \* Colocynthis praeparata.

**Zubereitete Koloquinte.**

*Trochisci Alhandal.*

Paratur eadem ratione uti Boletus Laricis praeparatus e Colocynthisidibus a seminibus liberatis et minutim concisis.

Serva caute in vase bene clauso.

Sit coloris subflavi, saporis peramari.

\* **Colophonium.****Geigenharz.**

De planta materna vide: **Resina Pini.**

Colophonium optimum paratur liquatione e residuo destillationis Olei Terebinthinae leni calore; Colophonium deterioris indolis paratur e Resina Pini communi, quae sub calore fortiori tam diu Aqua admixta liquatur, donec coloris obscuro-fusci fiat, et odorem terebinthinaceum maxima ex parte perdidit.

Colophonium non solum in terris Europaeis paratur, sed etiam maxima copia ex America boreali sub nomine Resinae Americanae affertur.

Colophonium optimum sit resina flavescens rubra, friabilis, compacta, diaphana, in fractura concharum instar nitens; calore leni liquescens, in Spiritu Vini rectificatissimo, Aethere, Oleis pinguis et aethereis solubilis, odoris et saporis debilis, resinoso-terebinthinacei.

Pulvis sit coloris albido-flavescentis.

**Conchae.****Austerschalen.**

*Conchae marinae. Conchae Ostrearum.*

*Ostrea edulis* Linn., Molluscum ex ordine Acephala, Fam. Ostreae, praesertim littora Angliae inhabitans.

Testae sunt bivalves, auritae, semiorbiculares, plures pollices latae ac longae, albiae.

Lotione Aquae bullientis ab omni sorde ac gelatina adhaerente depurandae.

\* **Conchae praeparatae.****Präparirte Austerschalen.**

*Conchae marinae praeparatae.*

Conchae Aqua communi affusa decoquantur, scopis



a quisquiliis mundentur, bene abluantur et siccentur, tum pulveratae et laevigatae serventur.

Sit pulvis albus, impalpabilis. Acido nonnullo superfuso effervescat.

### \* Cornu Cervi raspatum.

**Geraspelttes Hirschhorn.**

*Cervus Elaphus* Linn. — Pecus Europae. Cl. Mammalia, Ord. Bisulca.

Cornu solidum, ramosum, rotundum; extus cinereum vel e fusco nigrum, scabro-rugosum, tuberculatum, intus albidum; partim compactum, partim medio cellulosum; mediae inter corneam osseamque structurae.

Ossa tornata, albidiora, rejicienda.

### \* Cortex Aurantii.

**Pomeranzenschale. Orangenschale.**

*Cortex fructus Aurantii.*

*Citrus Aurantium* Linn., arbor indigena Asiae, in Italia et Francogallia culta. Cl. XVIII. Ord. III syst. Linn. — Fam. Aurantiaceae (Hesperideae) syst. natur.

Cortex fructuum maturorum. Recens est epidermide rubro-flava, glandulosa; exsiccatus occurrit in frustis duris, ovato-acuminatis; epidermide flavo-virente, parenchymate albo, spongioso; odore debili et sapore amaro.

Pro usu pharmaceutico flavedo tantum adhibeatur.

Cortices Citri Sinensis pallidiores, odoris et saporis debilioris sicut cortices nigrescentes et mucidi removeantur.

\* **Cortex Cascarillae.****Cascarillenrinde.**

*Croton Eluteria* Schwartzii (*Clutia Eluteria* Linn.), frutex arborescens, in Bahamensibus et aliis insulis Indiae occidentalis frequentissimus. Cl. XXI. Ord VIII syst. Linn. — Fam. Euphorbiaceae syst. natur.

Cortex est e ramis validioribus detractus, plerumque semiconvolutus vel canaliculatus, 1 ad 4 pollices longus, compactus et ponderosus; epidermide interdum caret, si prostat, est albido-grisea, interdum nigrescens, haud raro lichenibus maculata, rugosa, et rimis transversalibus brevibus obsita; corticis strata externa tenuia, intus albida, strata media et interna sunt fusco-ferruginosa, fracturae aequabilis, glabrae, resinoso-nitidae. Cortex Cascarillae odore peculiari, suavi, aromatico, et sapore gaudet amaro, acri, aromatico.

Accensus fumum spargit, Moschi odori subsimilem.

Sit alburni expers. Segmenta leviora et rami minores rejiciantur.

\* **Cortex Cassiae.****Zimtkassien-Rinde.**

*Cortex Cassiae cinnamomeae.* *Cortex Cinnamomi*  
*Sinensis seu Indici.*

*Persea Cassia*, *Cinnamomum aromaticum*, Nees ab Esenb., *Cinnamomum Cassia* Blume. *Laurus Cassia* Linn., arbor indigena Indiae orientalis, in India occidentali culta, Cl. IX. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Laurineae syst. natur.

Cortex ramorum convolutus interior; occurrit in segmentis, libro colligatis, pedes duas fere longis, ponderis librae unius ad quatuor. Est tenuis, flavo-fuscus,



fracturae subaequabilis, fibris sparsis in superficie conspicuis, aequae inter se distantibus, odoris et saporis suavis, aromatici.

Cortex Cassiae lignae est coloris obscurioris, brunneo-rubentis, saporis et odoris debilioris, non striatus, crassior et in superficie magis asperior. Masticatus salivam mucilaginis imbuat.

### \* Cortex Chinae fuscus.

**Peruvianische, braune oder Huanuco-China-Rinde.**

*Cortex Chinae Huanuco seu Peruvianus fuscus  
seu Chinae officinalis.*

Planta materna Corticis Chinae Huanuco est *Cinchona micrantha* Ruiz et Pavon et *Cinchona lancifolia* Roemer. et Schult. secundum Wedell. *Cinchona glandulifera* Ruiz et Pavon secundum Virey et Fée. *Cinchona cordifolia* Rhode secundum Hayne. Arbores Americae meridionalis, praecipue in montibus Cordillerarum, (de los Andes) Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Rubiaceae (Cinchonaceae) syst. natur.

Occurrit in segmentis tubulosis utrinque convolutis, pennam anserinam vel pollicem et ultra latis,  $\frac{1}{3}$  ad 5 lineas crassis, 3 ad 18 pollices longis. Strata corticis exteriora sunt sulcis longitudinalibus saepe percursa; fissuris transversalibus minimis, haud profundis, quae nunquam corticem totum, plerumque dimidiam tantum partem ejus percurrunt; epidermis est cinerea, coerulea, ex albido nigro-ve maculata, lichenibus minoribus, plerumque crustaceis, obsessa. Epidermide ablata cortex apparet fusco-griseus vel cinnamomeus, saepius vestigia sulcorum longitudinalium apparent; color corticis interioris est ferrugineus; pulveris color saturate cinna-

momeus. Fractus cortex exhibet texturam resinosaam, librum versus fissilem.

Odor corticis Chinae Huanuco est debilis, peculiaris, quasi argillaceus; sapor amarus, subadstringens-acidulus cum aliquo aromate.

Sit ponderosus, durus, modice crassus, structura nec lignosus nec fibrosus, annulo nigricante resinoso praeditus. Segmenta tenuissima levia rejiciantur. Decoctum aquosum, cum Infuso Gallarum aquoso vel Liquore Kali caustici mixtum, praebet nubeculas copiosas, albidas. Cortex Chinae Jaen seu Ten, qui est tenuis, tactu mollis, fragilis, semper convolutus, glaber, subspongiosus, saepius tortus vel subflexuosus, coloris fusci-cinnamomei, saporis aciduli, parum amari, removeatur.

### \* Cortex Chinae regius.

**Königs-Chinarinde.**

*Cortex Peruvianus regius. Cortex Chinae flavus.  
Cortex Chinae Calisaya mercatorum.*

Cinchona Calisaya Wedell (Cinchona Josephiniana Wedell) Cl. V. Ord. I, syst. Linn. — Fam. Rubiaceae (Cinchonaceae). Arbor Americae meridionalis, praesertim in Bolivia et Peru (provincia Carabaya) crescens.

*China regia plana seu Calisaya.*

**Flache Königs- oder Calisaya-Chinarinde.**

Frusta sunt plana, subreflexa vel subcaniculata, non saepe stratis exterioribus corticis tecta. Praeferenda est

*China regia convoluta.*

**Röhrige Königs-Chinarinde.**

Frusta sunt simpliciter vel bis convoluta, 3 ad 18 pollices longa,  $\frac{1}{2}$  ad 1 pollicem lata; substantia corticalis ipsa 2 ad 4 lineas crassa. Superficies externa interdum epidermide pallide-cinerea, rimis profundis transversalibus sulcata, vestita est. Colore est ferrugineo, in rugis



praesertim in fusco-nigrum vergente. Stratum externum saepius e plurimis aliis stratis, e ferrugineo et nigro alternantibus, compositum est; stratum medium ferrugineum, compactum; stratum tertium crassissimum, fibrosum, fibris densis, colore e rufo-fusco, intus pallidiore, praeditum.

Cortex Chinae regius est odore debili, coriaceo, sapore omnium Chinae specierum amarissimo.

Ne confundatur cum China flava fibrosa, seu China flava de Carthagera, quae plerumque plana vel subcurvata occurrit. Est praeterea glabra, mollis, suberosa; strata exteriora et media tenuissima interdum deficient; stratum intimum fibrosum est, fibris tenacibus, flexilibus, colore pallide ochraceo, sapore debiliore, amariusculo-adstringente. Etiam defectu rimarum facile dignoscitur. Decoctum Chinae regiae aquosum bonae indolis Liquore Kali caustici et Infuso Gallarum copiose praecipitetur.

### \* Cortex Chinae ruber.

**Rothe China - Rinde.**

*Cortex Peruvianus ruber.*

Variae species generis *Cinchona*; *Cinchona nitida*?  
*Cinchona colorata*?

Ex America australi, praesertim e regionibus Peruvianis affertur. Segmenta sunt partim convoluta, partim canaliculata, rarius plana, variae magnitudinis, plerumque satis crassa, 1 ad 8 lineas complectentia, e fusco-rubra. Epidermis non semper sed interdum obvia, est e rubro-badia, plerumque asperrima, cuticula griseo-alba tecta, interdum lichenibus vestita, gibbosa, rugis decurrentibus et verrucis lacerata, rarius rimis transversalibus circumscissa; latus internum epidermidis est flavo-fuscum, rubicundum, tenuiter lineatum, fibrosum, attamen densum. Cortex ipse refert strata duo; externum est castaneum, compactum, discissum, resinose splendens; internum fibroso-lignosum, cinnamomeo-aurantiaco-rubellum.

Fractura transversalis corticum tenuiorum planiuscula est; crassiorum simul fibrosa et fissilis. Pulvis est brunneo-ruber; odoris debilis, coriacei; saporis subacerbi, amarissimi, haud ingrati.

Ad Liqueorem Kali caustici et Infusum Gallarum Decoctum Chinae rubrae aeque se habeat ut Decoctum Chinae regiaae. Elige frusta crassiora, ponderosiora, valde amara. Leviora, pallidiora, magis ferruginea, aeque ac rubicunda et minus amara rejice.

Cortex Chinae regius vel Cortex Chinae flavus, fraudulenter colore rubro imbuti, colore pallidiore, praesertim in fractura, facillime deteguntur.

## \* Cortex Cinnamomi.

**Ceyloner Zimmt.**

*Cortex Cinnamomi Ceylonici seu acuti.*

*Persea Cinnamomum*, *Cinnamomum Ceylonicum* Bl. (N. ab Esenb.), *Laurus Cinnamomum* Linn., arbor Indiae orientalis, praecipue in insula Ceylon indigena et in America australi culta, Cl. IX, Ord. I syst. Linn. — Fam. Laurineae syst. natur.

Est liber tri- ad quadriennis ramorum arboris nominatae, a maxima parte substantiae corticalis liberatus. Venalis in tubis cylindricis, pedem unam ad pedes duas longis occurrit, qui tubis aliis, tenuioribus canaliculatis impleti sunt. Tubi vix sextam partem lineae aut chartae lusoriae crassitudinem excedunt, sunt lignosi, flexiles, fragiles, leves, extus flavo-rubicundi, vix brunnescentes, intus magis fuscescentes, fracturae non nimis inaequalis, pallidioris. Sapor est dulciusculo-aromaticus, fervidus, saccharinus, prius subacer, adstringens; odor gratissimus, aromaticus.

Cortex crassior, durior, saporis et odoris alieni, mucilagine impletus, rejiciatur.



\* **Cortex Citri.****Citronenschale.**

*Citrus medica* Linn. (*Citrus Limonum* Decand.), planta indigena Mediae et Persiae, in Europa australi, praesertim in Italia, culta, apud nos in hibernaculis, Cl. XVIII, Ord. III syst. Linn. — Fam. Aurantiaceae (Hesperideae) syst. natur.

Cortices exsiccati in frustis vel ex ovato acuminatis vel spiralibus venduntur; epidermide punctata, rugosa, luteo-citrina, aromatica, subamara; strato interiore spongioso, albo, insipido.

A substantia corticali interiore alba, crassiore recidendo mundandus.

**Cortex Frangulae.****Faulbaum-Rinde.**

*Rhamnus Frangula* Linn., frutex arborescens Germaniae, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Rhamnaceae syst. natur.

Cortex est canaliculatus, epidermide gryseo-fusca, intus coloris brunneo-flavescentis, odoris debilis, saporis amari, submucilaginosi, salivam colore luteo tingens.

E ramis mediocribus fruticum novellorum colligatur.

**Cortex Mezerei.****Seidelbastrinde.**

*Daphne Mezereum* Linn., frutex in Germania frequens, Cl. VIII. Ord. I syst. Linn. — Fam. Thymeleae (Daphnoideae) syst. natur.

Frusta sicca, elongata, tenuia, longitudinaliter rugosa, tenacissima, loriformia, extus e subviridi fusca, intus

fibrosa, subflava, quasi polita. Sunt odoris vix ullius, sed saporis peracris.

Collige e truncis et ramis validioribus, et elige frustra longiora, latiora et tenacissima.

## Cortex Quassiae.

### Quassienrinde.

Quassia amara Linn., arbor Americae meridionalis, Cl. X. Ord. I syst. Linn. — Fam. Simarubaeae syst. natur.

Cortex epidermide rugulosa, tenuissimus, extus cineraceus, intus ex albo griseus, subflavescens, saporis amarissimi.

Ne permutetur cum Cortice Simarubae excelsae multo crassiore, neve cum Cortice Rhois Metopii, cujus infusum Liquore Ferri sesquichlorati nigrescit.

## \* Cortex Quercus.

### Eichenrinde.

Quercus pedunculata Willd. et Quercus Robur Willd., arbores Germaniae, Cl. XXI. Ord. VII. syst. Linn. — Fam. Cupuliferae (Amentaceae) syst. natur.

Est extus argenteo-nitens vel cinereo-fuscus, glaber, rugoso-rimosus et tuberculatus; intus recens albido-flavescens, exsiccatus rubiginosus, fibroso-fissilis, fere inodorus, saporis valde austeri, adstringentis.

Colligatur e truncis novellis arbusculorum.

## \* Cortex Radicis Granati.

### Granatwurzelnrinde.

Punica Granatum Linn., arbor Asiae et Europae



meridionalis, apud nos hibernaculis culta, Cl. XII. Ord. I  
syst. Linn. — Fam. Myrtaceae syst. natur.

Cortex e ramis radice plantae spontaneae colligendus. Exhibet segmenta 2 ad 4 pollices longa,  $\frac{1}{2}$  ad 1 poll. lata,  $\frac{1}{4}$  ad 1 lin. crassa, canaliculata, gibbosa, rugosa, extus griseo-lutea, sordido-viride maculata; intus cortex est fissilis, griseo-lutescens, sordido-subviridis, albarno pallide luteo passim adhaerente. Fractura est inaequalis, flavescens. Odor est debilis, nauseosus; sapor adstringens, amaricans, ingratus.

Infusum Corticis Radicis Granatorum est limpidum, fusco-flavum, refrigerando colore sordide fusco-flavo turbatur. Solutione Ferri sesquichlorati colore nigro, solutione Plumbi acetici colore luteo, et solutione Gelatinae animalis colore albido-griseo copiosissime praecipitatur.

Ne confundatur cum cortice ochroleuco et subspongioso Buxi sempervirentis et cortice tenaciori et magis flexili Berberidis vulgaris, quorum decocta admixta solutione Gelatinae animalis non mutantur.

## \* Cortex Salicis.

### Weidenrinde.

Salix pentandra et fragilis Linn., arbores in Germania frequentes, praecipue in locis humidis, Cl. XXII. Ord. Driandria, syst. Linn. — Fam. Salicineae (Amentaceae).

Cortex tenuis, flexilis; extrinsecus fuscus aut subviridis, sublaevis, vernicis instar nitidus; intus luteolus; odor balsamici, dulciusculi; saporis styptici, amari. Cortex recens bonae indolis, Acido sulphurico puro humefactus, statim colore fusco-rubro imbuatur.

Collige e ramulis biennibus vel triennibus, et caute sicca loco umbroso.

Etiam cortices Salicis purpureae, Russelianae et albae colligi possunt.

**Cortex Ulmi.****Ulmen- oder Rüster-Rinde.***Cortex Ulmi interior.*

*Ulmus campestris*, Linn. et *Ulmus effusa* Willd., arbores Germaniae, Cl. V. Ord. II. syst. Linn.  
— Fam. Ulmaceae syst. natur.

Cortex interior fibrosus, libro connexus, ab externo aspero, fragili, fusco liberatus, lentus, glaber, recens albido-flavus, siccatus cinnamomeus, saporis mucilaginosi.

Collige e ramis bi- usque triennibus. Decoctum concentratum valde mucilaginosum apparet.

**\* Creta alba.****Weisse Kreide.**

*Calcaria carbonica*, montes sic dictos formationis cretaceae constituens.

Sit albissima, laevis, sicca, friabilis; in Acidis effervescens, fere perfecte solubilis; in Aqua vix solubilis. Pond. specif. est 2,70. Arena et partibus heterogeneis non nimis inquinata sit.

**\* Crocus.****Safran.**

*Crocus sativus* Linn., planta perennis bulbosa, spontanea in Oriente, in variis terris Europae culta, Cl. III. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Irideae syst. natur.

Sunt stigmata caute siccata, e floribus apertis exenta, quibus plerumque stylus laete-luteus adhaeret. Sunt coloris saturate aurantiaci, subtenacia, unum usque  $1\frac{1}{2}$  pollicem longa, in tres lacineas, superne latiores, fissa, apicibus sublaceratis, linearibus, margine convolutis, denticulatis. Inter masticandum salivam colore luteo-rubicundo intense imbuunt. Crocus est odoris peculiaris, penetrantis, subnarcotici, aromatici et saporis balsamici, subamari, subacris.



E Francogallia allatus, sic dictus Gatinois, maxime aestimatur, etiam ex Hispania et Austria affertur.

Serva in loco, luci non nimis exposito et in vitris bene clausis vel in vasis ferreis, stanno obductis.

Flores Carthami tinctorii, Calendulae officinalis, Punicae Granati, Arnicae montanae, qui Croco interdum fraudulentur immixti sunt, a Croci structura indicata longe recedunt et facile etiam colore magis aequabili et defectu trium lacinearum superiorum dignoscuntur. Crocus corruptus, nigrescens rejiciatur.

## \* Cubebae.

**Cubeben.**

*Piper caudatum.*

*Piper Cubeba* Linn. (*P. caudatum* Bergii), frutex praecipue Javae et Indiae orientalis Cl. II, Ord III syst. Linn. — Fam. Piperaceae syst. natur.

Baccae sunt subglobosae, aridae, magnitudinis pisi minoris; testa pedunculata, cinereo-fusca, reticulatim rugosa, fragili; nucleo extus fusco, intus albido, oleoso, turgidulo; sapore fervido, aromatico, amaricante, denique refrigerante; odore aromatico.

Serva in vasis bene clausis, pulverem in vitris.

Cave ne Pipere nigro, Semine Amomi et Baccis Spinae cervinae inquinatae sint. Piper est coloris obscurioris, odoris et saporis alieni, Semen Amomi pedunculo caret, pedunculus Baccarum Spinae cervinae facile sine laesione baccae separari potest; pedunculus Cubebaram autem multo fortius adhaeret. Ceterum Baccae Spinae cervinae fere sunt inodoraе, et Cubebae nucleo uno, Baccae Spinae cervinae nucleis quatuor instructae.

## Cuprum.

**Kupfer.**

Hoc metallum nativum occurit, sed plerumque in officinis metallariis e mineris suis (praecipue e sic dictis Kupferkies, Malachit, Rothkupfererz, Cementwasser) paratur.

Est coloris lacte rubicundi fuscii, fracturae uncinosae, splendoris insignis metallici, pond. specif. 8,723 ad 8,780, in octaëdris et cubis crystallisabile, durissimum, elasticum, tenax, valde sonorum, eximie malleabile et ductile, calore usque ad albedinem aucto, difficilium Argento, sed facilius Auro fusibile, aestu vehementissimo volatile. Aëri humido expositum, colore viridi induitur. In aëre excandefactum oxydatur, in Acido nitrico et Aqua regia facile, in Acido hydrochlorato concentrato difficile, in Acido sulphurico concentrato coquendo solubile.

Venale plerumque purum occurrit.

### \* **Cuprum aceticum purum.**

**Reines essigsures Kupferoxyd.**

*Rp.* Aeruginis pulverisati, quantum vis.

Immitte in patinam porcellaneam, et solve in:

Aceti concentrati quantitate sufficiente.

Solutionem filtratam evapora ad punctum crystallisationis. Crystallos frigore collectas sicca et conserva caute.

Ceterum Aeruginis instar se praebeat.

### **Cuprum sulphuricum ammoniacatum.**

**Schwefelsaures Kupferoxyd - Ammoniak. Kupfer - Ammoniak.**

*Cuprum ammoniacale.*

*Rp.* Cupri sulphurici puri quantum libet.

In mortario porcellaneo pulverisatum solve in:

Liquoris Ammoniaci caustici sufficiente quantitate.

Solutionem limpidam infunde in cylindrum vitreum, et admisce tenui radio:

Spiritus Vini rectificatissimi duplex pondus



caute et lente eo modo, ut Spiritus solutioni innatet, et ambo liquores non misceantur. Cylindrum vesica madefacta clausum sepone sine ulla motione per octo usque quatuordecim dies in locum frigidum. Crystallos secretas collige in colatorium linteum, exprime lenissime et sicca celeriter et perfecte, calore artificiali non adhibito, supra strata saepius renovanda chartae bibulae albae.

Format crystallos longas, saturato-coeruleas, facile fatiscentes, plane prismaticas vel aciculares, obtusas, odoris debilis ammoniacalis et saporis metallici nauseosi.

Aëris actu decomponuntur, et in Spiritu Vini rectificatissimo insolubiles sunt.

Praeparatum griseum, virescens vel lacte coeruleum, quod in Parte una et semis Aquae frigidae non solubile est, rejiciatur. Liquore Kali caustici humefactum odorem ammoniacalem spargat.

Serva in vitro optime clauso.

### \* **Cuprum sulphuricum purum.**

**Reines schwefelsaures Kupferoxyd. Reiner blauer Vitriol.**

*Vitriolum coeruleum purum.*

*Rp.* Acidi sulphurici concentrati puri Uncias tres,  
Aquae destillatae Unciam unam.

Lege artis mixtas exaestua in cucurbita satis ampla, balneo arenae imposita, tunc, vapores sulphurosos innox erumpentes caute evitans, sensim sensimqueingere:

Cupri puri laminati Unciam unam vel quantum solvitur.

Portioni primae solutae adde alteram et continua tam diu, donec reactio Acidi in metallum cessaverit, et gas Acidi sulphurosi non amplius erumpat. Residuum salinum solve in:

Aquae destillatae bullientis sextuplo, et liquorem filtratum evapora usque ad punctum crystallisationis. Sepone in loco frigido et crystallos ortas, bene ablutas, inter chartam bibulam siccatas serva in vitro bene clauso.

Characteres chemici et physici sunt salis venalis instar. Si solutio praeparati, Acido sulphurico puro acidulata, Aqua hydrosulphurata perfecte praecipitata est, fluidum, a sedimento orto defiltratum, Liquore Ammoniaci caustici commixtum, praecipitatum fusco-rubrum non edat, et ab eo forsitan orto separatum Liquore Kali carbonici colore albido non praecipitetur.

### \* Cuprum sulphuricum venale.

**Käufliches schwefelsaures Kupferoxyd. Käuflicher blauer Vitriol.**

*Vitriolum coeruleum venale.*

Fossile quidem invenitur, sed venale e Cupro sulphurato nativo impuro, vel Cupro sulphurato artificiali oxydatione sub aëris accessu, magna ejus copia etiam ex Aquis caementatoriis naturalibus evaporatione et crystallisatione paratur. Nunc saepissime in depuratione Argenti, ope solutionis ejus in Acido sulphurico obtinetur.

Exhibet crystallos rhomboideo-prismaticas vel frusta crystallina diaphana, coerulea, splendentia, demum subfatiscentia, in Aqua facile solubilia, saporis ingrati, styptici, metallici. Calore liquefiunt, aestu aucto decomponuntur. Pulvis est coloris coerulei albidi.

Ne nimis Ferro vel Zinco inquinatum sit.

### Decocta.

**Absude. Abkochungen.**

Decocta vegetabilium, simpliciter praescripta, parantur e Drachma una remedii postulati, concisi vel grasse pulverati, quod in Aquae communis Unciis duabus coctum



et inde colatum Unciam unam reddat. Coquantur in vasis figulinis vitreatis, aut cupreis, stanno obductis, paribus operculis tectis, igne modico subjecto, gradum, ad aquam bulliendam necessarium, non excedente. Colantur per lintea telae densioris, materia decocta simul bene expressa, et quae refrigerata copiosum sedimentum, praecipue e partibus efficacibus constans, e. g. China, demittunt, adhuc calentia.

Decocta concentrata parantur eadem ratione, nisi quod remedii decoquendi Drachma una et dimidia sumatur.

Decocta concentratissima parantur e Drachmis duabus et Decocta tenua vel diluta e Drachma dimidia.

### Decoctum Cornu Cervi compositum.

**Weisse Abkochung.**

*Decoctum album Sydenhami.*

**Rp.** Cornu Cervi raspati,  
Micae Panis tritici albissimi, singulorum Unciam  
dimidiam.

Coque cum:

Aquae communis Libris tribus,  
usque ad eum finem, dum tertia pars consumpta sit.  
In colatura solve:

Gummi Arabici Drachmam unam et dimidiam,  
Sacchari albi Unciam dimidiam.

Paratur ex tempore.

### Decoctum Sassaparillae compositum fortius.

**Stärkerer zusammengesetzter Sassaparill-Absud.**  
**Stärkeres Zittmann'sches Decoet.**

*Decoctum Zittmanni fortius.*

**Rp.** Radicis Sassaparillae concisae Uncias duodecim.

Infunde:

Aquae communis Uncias septuaginta duas,  
et digere per horas viginti quatuor.

Tum additis:

Sacchari albi,

Aluminis depurati, singulorum pulveratorum  
Drachmis sex,

Hydrargyri chlorati mitis Uncia dimidia,

Hydrargyri sulphurati rubri Drachma una,  
sacculo linteo inclusis, coque, usque dum Librae viginti  
quatuor remanserint, sub finem coctionis addendo:

Seminis Anisi vulgaris,

„ Foeniculi, singulorum contusorum Unciam  
dimidiam,

Foliorum Sennae Uncias tres,

Radicis Liquiritiae incisae Unciam unam et dimidiam.

Exprime et cola. Liquorem obtentum et per aliquod  
tempus depositum decanta.

### Decoctum Sassaparillae compositum mitius.

**Schwächerer zusammengesetzter Sassaparill-Absud.  
Schwächeres Zittmann'sches Decoet.**

*Decoctum Zittmanni mitius.*

*Rp.* Radicis Sassaparillae concisae Uncias sex.

Cum speciebus e decocto fortiori Librarum viginti  
quatuor residuis mixtas coque cum:

Aquae communis Libris septuaginta duabus,  
usque dum Librae viginti quatuor remanserint, sub finem  
coctionis addendo:

Corticis Citri,

Corticis Cassiae cinnamomeae,



Cardamomi minoris,

Radicis Liquiritiae, singulorum contusorum et incisorum Drachmas tres.

Exprime et cola. Liquorem obtentum per aliquod tempus sepositum decanta.

## Elaeosacchara.

### Oelzucker.

*Rp.* Sacchari albissimi pulverati Drachmam unam,  
Olei aetherei cujuslibet Guttas tres.

Misce exactissime.

Parantur ex tempore.

## Elaeosaccharum Vanillae.

### Vanillezucker.

*Rp.* Vanillae concisae Partem unam.

Tere cum:

Sacchari albissimi Partibus octo.

Fiat pulvis ex albo griseus.

Paratur ex tempore.

## Electuarium lenitivum.

### Eröffnende Latwerge.

*Electuarium e Senna. Electuarium Sennae.*

*Rp.* Seminis Anisi vulgaris pulverati Grana sex,  
Foliorum Sennae pulveratorum Drachmam unam,  
Pulpae Tamarindorum Drachmas duas,  
Syrupi Althaeae Drachmas quinque.

Misce in mortario lapideo.

Paratur ex tempore.

\* **Elemi.****Elemiharz.***Resina seu Gummi Elemi.*

*Icica Icicariba* Decand. (*Amyris elemifera* Linn.), arbor Brasiliae et insularum Antillarum. Cl. VIII. Ord. I syst. Linn. — Fam. *Burseraceae* syst. natur.

Elemi est succus corticis sponte effluens, in aëre induratus. Resina est saepe foliis arundinaceis involuta, compacta, extus durior, intus mollior et tenax, vetustate magis indurescens, calore manuum emollienda, semipellucida, coloris pallide citrini vel subvirescentis, trita albicans, leni calore liquescens, valde inflammabilis, splendoris resinoso-vitrei, pond. spec. 1,08, odoris gravioris, haud ingrati, subfoeniculacei; saporis balsamici, amaricantis. Plerumque frustra difformia, variae magnitudinis, et frustulis minoribus conglutinata, et corticibus intermixta exhibet.

In Spiritu Vini rectificatissimo fere ad duos trientes, in bulliente ad quatuor quintae ( $\frac{4}{5}$ ) solubilis, inde a Resina Pini communi, in Spiritu Vini rectificatissimo frigido perfecte solubili, distinguenda. Ceterum Resina communis coloris magis flavi et odoris terebinthinacei ingrati est.

\* **Elixir Aurantium compositum.**

**Zusammengesetztes Pomeranzen-Elixir. Hoffmann's balsamisches Elixir.**

*Elixir balsamicum Hoffmanni. Loco Elixirii stomachici Viennensis, Elixirii visceralis Hoffmanni, Vini Aurantium compositi.*

*Rp.* Flavedinis Corticum Aurantium Uncias quatuor et dimidiam,  
quibus contusis affunde:



Vini Madeirensis Libras duas,  
Spiritus Vini rectificati Uncias duas.

Digerantur loco tepido, vitro vesica clauso, per septimanam, tunc colentur exprimendo. In fluido colato solvas:

Extracti Absinthii,  
„ Cardui benedicti,  
„ Centaurii minoris,  
„ Gentianae, singulorum Unciam unam.

Elixir residere fac, a residuo defusum per chartam bibulam cola. Praebet Uncias viginti quatuor.

Sit brunneo-nigrum, opacum; odoris Vini Madeirensis et Corticum Aurantium; saporis primum dulciusculi, dein peramari.

### Elixir e Succo Liquiritiae.

**Süssholzsaft-Elixir. Brust-Elixir.**

*Elixir pectorale Regis Daniae. Elixir Glycyrrhizae.*

*Rp.* Succu Liquiritiae depurati Uncias duas,  
Aqua Foeniculi Uncias sex.

Solutis et colatis adde:

Liquoris Ammoniaci anisati Uncias duas.

Misce.

Serva in vitro epistomio vitreo clauso.

Sit opacum, brunneo-nigrescens; odoris ammoniacalis, foeniculacei; saporis paris, dulcissimi.

### Elixir proprietatis cum Acido.

**Säurehaltiges Purgirelixir.**

*Elixir proprietatis Paracelsi.*

*Rp.* Aloës,  
Myrrhae, singulorum Uncias duas,  
Crocii Unciam unam.

Affunde:

Spiritus Vini rectificati Libras duas,  
 Acidi sulphurici diluti, Uncias duas.  
 Macerentur per quatuor dies, tum liquor filtretur.  
 Serva in vitro epistomio vitreo munito.  
 Sit limpidum, coloris e rubro fuscii.

## Elixir proprietatis sine Acido.

**Säurefreies Purgirelixir.**

*Rp.* Aloës,  
 Croci,  
 Myrrhae, singulorum Unciam unam,  
 Kali tartarici Uncias duas,  
 Aquae destillatae Uncias octo,  
 Spiritus Vini rectificati Uncias quatuordecim.  
 Digerantur per triduum et filtrentur. Elixir aequat  
 Uncias viginti.  
 Serva in vitro obturato.  
 Sit limpidum, coloris e rubro fuscii.

## \* Elixir Mynsichti.

**Mynsichts Vitriol-Elixir.**

*Elixir Vitrioli Mynsichti. Loco Tincturae aromaticae  
 acidae.*

*Rp.* Radicis Calami aromatici Unciam unam,  
 „ Galangae minoris Unciam unam et  
 dimidiam,  
 „ Zingiberis Drachmas tres,  
 Herbae Menthae crispae,  
 „ Salviae, singulorum Unciam unam,  
 Caryophyllorum,  
 Nucis moschatae,  
 Ligni Quassiae,



Corticum Citri, singulorum Drachmas duas.

Incisis et contusis superfunde:

Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Macerentur per septimanam, dein addantur:

Acidi sulphurici diluti Unciae duae.

Digerantur per sex dies, tum liquorem expressum per chartam bibulam filtra et, Uncias viginti aequantem, serva usui.

Serva in vitro, epistomio vitreo clauso.

Sit brunneo-nigrescens, pellucidum; odoris aromatici, spirituosus; saporis parisi, aciduli, urentis; cum Aqua permixtum viride-lactescens fiat.

### \* **Emplastrum adhaesivum.**

**Hestpflaster.**

*Emplastrum Lithargyri cum Resina. Emplastrum simplex glutinans. Emplastrum resinosum.*

*Emplastrum Picis solidae.*

*Rp.* Emplastri Lithargyri simplicis Libras duas,  
Resinae Pini (Burgundicae) Uncias octo,  
Cerae citrinae Uncias quatuor,  
Terebinthinae laricinae Unciam dimidiam.

Misce omnia liquando in aheni cupreo leni igne et colando, ut fiat emplastrum. Refrigeratum malaxetur, ope Aquae, in magdaleones.

Chartam ceratam interponendo serva in vasis ligneis.

Sit brunneo-flavum, frigidum fragile, manu emollitum linteis tenacissime agglutinans.

### \* **Emplastrum adhaesivum Anglicum.**

**Englisches Hestpflaster.**

*Emplastrum adhaesivum Woodstockii. Emplastrum Ichthyocollae telae inductum. Emplastrum glutinosum.*

*Sericum Anglicum. Emplastrum Anglicum.*

*Rp.* Collae piscium, Aqua frigida mollitae, et minutim incisae Uncias duas.

Solve leni digestionem in:

Aquae destillatae Unciis decem,  
Spiritus Vini rectificati Unciis sex.

Solutioni admisce:

Benzoës Drachmas duas,  
Balsami Peruviani nigri Scrupulos quatuor,  
Olei Caryophyllorum Guttas decem,

in:

Spiritus Vini rectificatissimi Unciis quinque soluta. Solutiones mixtas adhuc calentes per linteum cola.

Tunc tela sericea nigra (aut coloris carnei) et tenuis, quae tamen satis densae est texturae, supra jugum natorium fortius extenditur. Ad massam praescriptam sufficit tela sericea latitudinis pedum trium et longitudinis aequalis. Massa emplatri in ollam, et haec in Aquam ferventem immittitur, ut gelatinosa massa diffuat, quae tum penicillo latiori magno et molli in telam expansam quam parcissime transferatur ac expandatur, idque tela probe siccata ter quaterve fiat, usque eo, ut speculi polituram induerit. Quo facto emplastrum probe siccatum et dein ex jugo exemptum in frustula dissecatur.

Sit rigidum, splendens, madefactum cuti tenaciter adhaerens; odoris balsamici.

### \* Emplastrum Asae foetidae.

**Stinkasand-Pflaster. Schmucker's zertheilendes Pflaster,**

*Emplastrum resolvens Schmuckeri. Emplastrum resolvens. Emplastrum Asae foetidae et Ammoniaci.*

*Rp.* Ammoniaci depurati Libram unam,  
Asae foetidae depuratae Uncias quatuor,  
Terebinthinae communis,



Emplastri Lithargyri simplicis, singulorum Unciam unam.

Liquefiant in balneo aquae et miscendo fiat emplastrum.

Serva in vasis e ferro laminato, stanno obductis et Oleo Olivarum oblitis, loco frigido.

Sit fuscum, ductile, tenax, Asam foetidam valde redolens.

### \* Emplastrum Cantharidum.

**Blasen-Pflaster. Spanischfliegen-Pflaster.**

*Emplastrum vesicatorium ordinarium. Emplastrum Cantharidum ordinarium.*

*Rp.* Cerae citrinae Uncias quatuor,  
Olei Olivarum Unciam unam.

Liquatis et paululum refrigeratis adde:

Terebinthinae laricinae Unciam unam,

sensimque admisce agitando:

Pulveris crassi Cantharidum Uncias duas.

Fiat emplastrum, olei ope, in magdaleones malaxandum.

Ne nimium diu prostet.

Serva in loco sicco.

Sit nigro-viride, molliusculum, particulis viridibus nitentibus aequabiliter dispersis.

### \* Emplastrum Cantharidum perpetuum.

**Anhaltendes Blasen- oder Spanischfliegen-Pflaster.  
Englisches oder Janin'sches Zugpflaster.**

*Emplastrum vesicatorium perpetuum. Emplastrum vesicatorium Janini.*

*Rp.* Pulveris Mastiches,

Terebinthinae laricinae, singulorum Uncias tres.

Leni calore liquatis et accurate solutis adde:

Cerae citrinae liquatae Unciam unam,  
ac sensim immisce:

Pulveris Euphorbii Unciam dimidiam,  
„ crassi Cantharidum Drachmas decem,  
ut fiat emplastrum, in magdaleones olei ope malaxandum.

Serva in loco sicco.

Sit e subviridi nigrum; durum, frigidum fragile, calore ductile;  
fractura splendida, maculis griseis et micis nitentibus Cantharidum  
aequaliter variegata; Cantharides simul sat redolens.

### \* Emplastrum Cerussae.

**Bleiweiss-Pflaster. Gekochtes weisses Pflaster.**  
*Emplastrum album coctum. Emplastrum subcarbonatis  
Plumbi.*

*Rp.* Lithargyri subtilissime pulverati Libram unam,  
Olei Olivarum Libras quatuor cum dimidia.

Coquantur sub agitatione continuata, instillando sensim  
et prudenter modicam Aquae communis calidae copiam,  
ne humor deficiat. Post solutionem Lithargyri adde:

Cerussae pulveratae Libras septem.

Coque continue agitando et quum ad 100° R. pro-  
venierint, adde, si opus fuerit, in intervallis Aquam com-  
munem calidam, donec fiat emplastrum. Malaxando  
formentur, Aquae ope, magdaleones.

Serva uti Emplastrum adhaesivum.

Sit candidum, durum, emollitum valde tenax; odoris proprii e  
plumbeo et oleaceo mixti.

### \* Emplastrum Conii.

**Schierlings-Pflaster.**

*Emplastrum Cicutae.*

*Rp.* Olei Olivarum Libram dimidiam,  
Cerae citrinae Uncias decem,  
Terebinthinae larinicae Uncias quatuor.

In aheni cupreo liquatis, agitando admisce:



Pulveris subtilissimi Herbae Conii maculati  
Uncias octo.

Mixta malaxentur, olei ope, in magdaleones.

Serva in loco sicco.

Sit griseo-viride, molliusculum; odoris murini proprii.

## Emplastrum crocatum.

**Safran -Pflaster.**

*Emplastrum oxycroceum. Emplastrum Galbani rubrum.*

*Rp.* Cerae citrinae,  
Picis solidae,  
Colophonii, singulorum Libram dimidiam,  
Terebinthinae larinicae Uncias duas,  
Ammoniaci depurati,  
Galbani depurati,  
Mastiches pulveratae,  
Myrrhae pulveratae,  
Olibani pulverati, singulorum Unciam unam,  
Crocī pulverati Unciam semis.

Cera, Colophonio et Picē liquefactis, ab igne remotis, colatis atque parumper refrigeratis, Ammoniacum et Galbanum, in Terebinthina soluta, tum et reliqua addantur, exacte misceantur et in magdaleones malaxentur.

Sit rubro brunneum, manu emollitum ductile, telae adhaerens, aequabiliter mixtum.

## \* Emplastrum Galbani crocatum.

**Safranhaltiges Mutterharz -Pflaster.**

*Emplastrum de Galbano crocatum.*

*Rp.* Emplastri Lithargyri simplicis,  
„ Meliloti,  
Cerae citrinae, singulorum Uncias sex.

Liquatis et semi-refrigeratis adde:

Galbani depurati Uncias sex,

cum:

Terebinthinae laricinae Uncia una et dimidia  
calore liquefactas. Mixtis adde:

Croci pulverati Unciam unam.

Fiat secundum artem emplastrum et malaxetur in  
magdaleones.

Serva charta cerata velatum.

Sit fuscum, duriusculum, calore ductile, telae adhaerens; odoris  
Galbani.

### \* **Emplastrum Hydrargyri.**

**Quecksilber-Pflaster.**

*Emplastrum mercuriale.*

*Rp.* Emplastri Lithargyri simplicis Libram unam,  
Cerae citrinae Uncias tres.

In aheni ferreo liquefactis, ab igne remotis et paul-  
ulum refrigeratis adde sub perpetua agitatione:

Hydrargyri depurati Uncias quatuor,  
quae prius cum:

Terebinthinae laricinae Unciis duabus  
in mortario lapideo ita mixtae sunt, ut oculo armato  
nulli globuli Hydrargyri appareant. Emplastrum refri-  
geratum malaxetur, ope Aquae, in magdaleones.

Serva chartam ceratam interponendo.

Sit coeruleo-cinereus, ponderosus, ductile, telae valde adhae-  
rens, oculo armato nullos globulos metallicos monstrans. Partes  
quinque emplastri unam Hydrargyri circiter teneant.

### \* **Emplastrum Lithargyri compositum.**

**Zusammengesetztes Bleiglätte- oder Diachylon-  
Pflaster. Gummi-Pflaster.**

*Emplastrum diachylon compositum. Emplastrum oxydi  
Plumbi semivitrei gummosum. Emplastrum Plumbi  
compositum seu gummosum. Emplastrum  
cum gummi-resinis.*

*Rp.* Emplastri Lithargyri simplicis Libras quatuor cum  
dimidia,



Cerae citrinae Uncias quatuor.

In aheni cupreo liquatis et quodammodo refrigeratis sub perpetua agitatione admisce, leni calore antea soluta:

Ammoniacy depurati,

Galbani depurati et

Terebinthinae laricinae, singulorum Uncias quatuor, ut fiat emplastrum. Emplastrum malaxetur, Aquae ope, in magdaleones.

Serva uti Emplastrum adhaesivum.

Sit flavo-brunnescens, ductile, linteis intime adhaerens, accurate mixtum et odoris Ammoniacy ac Galbani.

### \* Emplastrum Lithargyri simplex.

**Einfaches Bleiglätte-Pflaster. Gemeines Pflaster.**

*Emplastrum commune. Emplastrum oxydi Plumbi semivitrei. Emplastrum Plumbi seu diachylon simplex.*

*Rp.* Lithargyri subtilissime pulverati Libras quatuor,  
Olei Olivary Libras septem.

Coque in aheni cupreo, leni igne, sub perpetua agitatione, et pauxillum Aquae calidae subinde instillando, donec Lithargyrum bene solutum fuerit, et massa sit emplastry consistentiae. Malaxetur, Aquae ope, in magdaleones.

Serva uti Emplastrum adhaesivum.

Sit albidum, non unguinosum, frigidum fragile, calore mollitum telae valde agglutinans et nullis Lithargyri non soluti vestigiis conspicuis.

### \* Emplastrum Meliloti.

**Meliloten - Pflaster.**

*Rp.* Cerae citrinae Libram unam,  
Colophonii,  
Olei Olivary, singulorum Libram dimidiam.

Liquatis et semirefrigeratis paulatim admisce:  
 Herbae Meliloti subtilissime pulveratae Libram unam.  
 Fiat emplastrum et malaxetur, auxilio olei, in magdaleones.

Serva loco sicco.

Sit obscuro-viride, molliusculum; odoris Meliloti proprii.

### \* **Emplastrum Minii fuscum.**

**Mutter-Pflaster. Braunes Mennig-Pflaster.  
 Nürnberger Pflaster.**

*Emplastrum Matris. Emplastrum Minii adustum.  
 Emplastrum fuscum seu nigrum. Emplastrum  
 Noricum.*

*Rp.* Olei Olivarum Uncias sedecim,  
 Minii subtilissime pulverati Uncias octo.

Coque sub perpetua agitatione ut colorem brunneum  
 et molliorem emplastri consistentiam acquirant, tunc adde:

Cerae citrinae Uncias quatuor,  
 quas liquatas, admixtis:

Camphorae, in pauxillo Olei Olivarum solutae,  
 Drachmis duabus,

effunde in capsulas papyraceas et post refrigerationem  
 in frustula disseca.

Serva in vasis bene clausis.

Sit coloris Succolatae, solidum, tenax, Camphoram redolens.

### \* **Emplastrum Saponis.**

**Seifen-Pflaster**

*Emplastrum saponatum seu saponaceum.*

*Rp.* Emplastri Lithargyræ simplicis Uncias novem,  
 Cerae citrinae Uncias duas,



Leni igne liquefactis admisce sensim sub perpetua agitatione:

Saponis Hispanici pulverati Uncias duas,  
Camphorae, cum Oleo Provinciale tritae, Drachmas duas.

Mixta in cistulas papyraceas effundantur, et refrigerata ac dissecta serventur usui.

Serva emplastrum in vase, e lamina ferri, stanno obducta, confecto, chartam ceratam interponendo.

Sit albescens, molliusculum, Camphorae odore imbutum.

## Emulsio Amygdalarum.

**Mandelmilch. Mandelemulsion.**

*Rp.* Amygdalarum dulcium decorticatarum Unciam unam.

Contunde in mortario lapideo cum pauxillo Aquae communis ad pulvem tenerrimam.

Tum affunde sensim:

Aquae communis Uncias octo.

Cola per linteum. Colatura sit Unciarum octo.

Paratur ex tempore.

Eadem ratione parantur emulsiones aliorum seminum.

## Emulsio oleosa.

**Oel-Emulsion.**

*Rp.* Olei Amygdalarum Unciam unam,  
Gummi Arabici pulverati Unciam semis,  
Aquae destillatae Uncias sex cum dimidia.

Misce in mortario idoneo ut fiat lege artis emulsio.

Paratur ex tempore.

\* **Euphorbium.****Euphorbium.**

*Euphorbia Canariensis* Linn., *Euphorbia officinarum* Linn. et *Euphorbia antiquorum* Linn., plantae perennes Africae meridionalis et insularum Canariensium, Cl. XI. Ord. III. syst. Linn. — Fam. *Euphorbiaceae* syst. natur.

Succus lacteus, e ramis sauciatis stillans, dein in aëre induratus. Frustula sunt multiformia, irregularia, angulosa, sordide subflava, vel cinereo-albida, fragilia, friabilia, plerumque perforata, odoris expertia, prunis injecta tamen fragrantia, flamma lucida ardentia, saporis primum debilioris deinde acerrimi, urentis, nauseosi.

Pulveratione *Euphorbium* sternutationem vehementissimam sicuti inflammationem faciei et faucium movet. In Aqua fontana, etiam in Spiritu Vini, ex parte tantum solubile est.

Serva caute.

Quo lucidius et purius *Euphorbium* eo melius est. Frustula sordide obscuriora removenda sunt.

\* **Extractum Absinthii.****Wermuth - Extract.**

*Rp.* Herbae et Summitatum Absinthii, recens siccatarum et minutim concisarum, quantum vis.

Cum Aquae communis bullientis sufficiente quantitate in pulvem fluidam redactae stent per duodecim horas in dolio, subinde agitatae. Tunc pulvem, sacculis linteis inclusam, prelo exprime et residuum denuo minore quantitate Aquae communis bullientis macerationi et expressioni subjice. Omnia expressa mixta stent per



noctem, in vasis terreis vitreatis vel ligneis, ut sedimentum de illis secedat, dein per pannum colentur et leniori igne in vasis cupreis, stanno obductis, inspissentur. Ad syrupi consistentiam redacta, in catino murrhino vel stanneo, balneo aquae aut vaporum imposito, leni calore sub continua agitatione cum spatula lignea, ne empyreuma contrahat, inspissentur ad extracti (mellis spissioris) consistentiam. Extractum refrigeratum servetur usui.

Praeparatio cujus mentionem fecimus, duobus ad summum tribus diebus ad finem adducatur, ne brodium fermentatione corrumpatur.

Omnia extracta modo dicto paranda, asserventur in ollis murrhinae vel porcellaneis ac charta cerata obductis.

Sint coloris plus minusve fuscii, saporis et, quantum fieri potest, odoris vegetabilium e quibus parantur.

Sint a Cupro libera, et praebeant in Aqua soluta, solutionem magis minusve turbidam.

## \* Extractum Aconiti.

### Sturmhut - Extract.

*Rp.* Herbae Aconiti recentis, incipiente floescentia collectae, Libras decem.

Concisae in mortario lapideo contundantur et ope preli fortiter exprimantur, quae operatio, addita Aquae communis Libra una vel una et dimidia, repetatur. Liquores mixti et colati in balneo vaporis temperatura 40 ad 50° R. inter perpetuam agitationem ad Libras duas evaporent. Quod remansit misce cum:

Spiritus Vini rectificatissimi Libris duabus et repone per viginti quatuor horas interdum agitando.

Tum mixta in filtrum linteum immitte et, liquore separato, residuum fortiter exprime, quod cum:

Spiritus Vini rectificati Libra dimidia mixtum, denuo exprime.

Liquores mixti et filtrati in balneo vaporis temperatura 40 ad 50° R. ad extracti spissioris densitatem inter perpetuam agitationem evaporent.

Majorem partem Spiritus Vini lenissimo calore abstrahere destillando, licet.

Caute serva.

Sit colore obscure fusco, solutione in Aqua turbida.

**\* Extractum Aconiti siccum seu pulverisatum.**

*Rp.* Extracti Aconiti Unciam unam.

Misce exacte cum:

Sacchari Lactis pulverati Uncia una,  
et loco tepido repone donec mixta perfecte sicca fuerint.  
Massae subtilissime tritae tantum Sacchari Lactis pulverati adde, ut pondus totius miscelae sit exacte Unciarum duarum.

Serva caute in vitro optime clauso.

Drachma hujus pulveris continet Drachmam dimidiam Extracti Aconiti.

Eadem ratione caetera extracta sicca seu pulverisata parentur, et extracto aliquo hujus generis a medico simpliciter praescripto, duplum pondus extracti sicci dispensetur, nisi expressis verbis extractum siccum seu pulverisatum fuerit ordinatum.

**\* Extractum Aloës aquosum.**

**Wässriges Aloë-Extract.**

*Rp.* Aloës pulveratae Partem unam,

Aquae destillatae Partes duodecim.

Macera per quadraginta octo horas, saepius agitando.

Liquorem quiete decantatum et colatum, in catino murrhino,



balneo aquae imposito, sub perpetua agitatione, ad siccitatem evaporare fac.

Serva in vase bene clauso.

Sit colore fusco, solutione in Aqua paullulum turbida.

## Extractum Arnicae.

### Wohlverleih-Extract.

*Rp.* Radicis Arnicae contusae Libras duas,  
Spiritus Vini rectificati Libras tres,  
Aquae communis Libras novem.

Misce et digere in cucurbita, capitello clausa, per duodecim horas, dein exprime et a liquore colato Spiritum Vini leni calore destillando elice. Residuum in patina murrhina, balneo aquae imposita, ad extracti consistentiam evaporare fac.

Extractum Arnicae et caetera extracta eadem ratione paranda, serva in vasis murrhinis vel porcellaneis bene clausis.

Sint coloris plus minusve fusci, praebent cum Aqua solutiones turbidas, ac sint saporis et odoris remediorum, e quibus parata sunt.

## Extractum Aurantiorum.

### Pomeranzen-Extract.

Paratur eodem modo uti Extractum Arnicae e Flavidine Corticum Aurantiorum concisa.

## \* Extractum Belladonnae.

### Tollkirschenkraut-Extract.

Paratur ex Herba recenti cum ramulis floescentibus Belladonnae uti Extractum Aconiti.

Serva cante.

Sit colore obscure fusco, solutione in Aqua fusca, turbida.

\* **Extractum Belladonnae siccum**  
seu **pulveratum.**

Paratur ex Extracto Belladonnae uti Extractum Aconiti siccum.

Serva caute, vitro probe clauso.

**Extractum Calami.**

**Kalmus - Extract.**

Paratur uti Extractum Arnicae e Radice Calami aromatici.

**Extractum Campechensis ligni.**

**Campecheholz - Extract.**

*Rp.* Ligni Campechensis crasse pulverati Partem unam,  
Aquaе bullientis Partes octo.

Stent in doliō per horas duōdecim, dein decoque in lebetē cupreo, stanno obducto, ad dimidiam partem. Liquorem calentem cola et sepone. Repetatur coctio ligni remanentis cum minore copia Aquaе eodem modo, deinde residuum exprimatur. Decocta mixta stent imperturbata, in vasis terreis vitreatis vel ligneis, usque dum subsederint. Liquor decantatione depuratus inspissetur leni calore sub perpetua agitatione ad unius partis pondus, deinde in catino murrhino, balneo aquae vel vaporum imposito, ad siccitatem.

Serva in olla porcellanea vel murrhina, charta cerata tecta.

Sit pulvis e rubro fuscus, solutionem in Aqua turbidam praebens.

Omnia extracta eadem ratione paranda, sint coloris e rubro vel nigro fusci, in Aqua solutionem magis minusve turbidam praebent.



\* **Extractum Cardui benedicti.****Cardobenedicten - Extract.**

Paratur eadem ratione uti Extractum Absinthii ex Herba Cardui benedicti.

\* **Extractum Cascarillae.****Cascarillen - Extract.**

Paratur eodem modo ut Extractum Arnicae e Cortice Cascarillae inciso vel contuso.

\* **Extractum Centaurii minoris.****Tausendgüldenkraut - Extract.**

Paratur ex Herba Centaurii minoris incisa eadem ratione uti Extractum Absinthii.

\* **Extractum Chamomillae.****Kamillen - Extract.**

Eodem modo paratur uti Extractum Absinthii e tota planta, floribus subfloridis, Chamomillae vulgaris.

\* **Extractum Chelidonii.****Schöllkraut - Extract.**

Paratur ex Herba Chelidonii florescenti recenti uti Extractum Aconiti.

Serva caute.

Sit colore obscure fusco, solutione in Aqua turbida, fusca.

\* **Extractum Chinae.****Chinarinden - Extract.***Extractum Corticis Peruviani fusci.*

Paratur e Cortice Chinae fusco uti Extractum Campechensis ligni, praeter quam quod evaporatur ad massae pilularis consistentiam.

\* **Extractum Chinae frigide paratum.****Kalt bereitetes Chinarinden - Extract.***Extractum Corticis Peruviani fusci frigide paratum.*

*Rp.* Corticis Chinae fusci pulverati Libras duas,  
Aquae communis Libras duodecim.

Macerentur, subinde fortius agitatae, per horas quadraginta octo. Residuum expressum macera denuo eadem ratione in:

Aquae communis Libris octo,

et tunc a fluido premendo separa. Liquores commixtos residere fac et filtra, dein in catino stanneo, balneo aquae imposito, evaporent, ita ut Libra una et semis restet; refrigeratum liquorem per chartam bibulam filtra, ac filtro eloto fluidum in patina murrhina, ope balnei aquae, ad syrupi spissioris consistentiam inspissetur.

Serva in vasis vitreis, bene clausis.

Sit fuscum, cum Aqua solutionem paullulum turbidam, rufo-fuscam, praebens.

**Extractum Cinae aethereum.****Aetherisches Wurmsamen - Extract.**

*Rp.* Seminis Cinae pulverati Uncias quatuor,  
Aetheris Uncias sedecim.



Misce et macera in vitro clauso per dies tres ad quatuor subinde agitando. Liquorem decanta, residuum exprime, liquores misce et per chartam bibulam filtra, tum in balneo aquae ad syrupi spissitudinem evapora. Si vis, liquores destillatione Aetheris ad quintam partem redigere licet.

Serva in vitro bene clauso.

Sit coloris e viridi fusci, in Aqua insolubile, odoris Seminis Cinae insignis.

### \* **Extractum Colocynthis.**

#### **Coloquinten - Extract.**

Paratur e Pomis Colocynthis, a seminibus et cortice purgatis, uti Extractum Arnicae, nisi quod evaporetur ad consistentiam massae pilularis.

Serva caute.

### \* **Extractum Columbo.**

#### **Columbo - Extract.**

Paratur eadem ratione uti Extractum Arnicae e Radice Columbo et evaporatur ad siccitatem.

### \* **Extractum Conii maculati.**

#### **Schierlings - Extract.**

#### *Extractum Cicutae.*

Paratur ex Herba recenti cum ramulis floresentibus Conii maculati uti Extractum Aconiti.

Serva caute.

Sit colore obscure fusco, subviridi; in Aqua solutionem fuscam, turbidam praebeat.

\* **Extractum Conii maculati siccum**  
seu **pulveratum.**

Paratur ex Extracto Conii maculati uti Extractum Aconiti siccum.

Serva caute in vitro probe clauso.

**Extractum Cubeborum.**

**Cubeben-Extract.**

*Rp.* Cubeborum contusarum Libram unam,  
Spiritus Vini rectificatissimi,  
Aquae communis, singulorum Libras duas.

Misce et digere interdum agitando loco tepido per biduum, exprime ope preli et tincturam, extractione et expressione finita, affundendo:

Aquae communis Libram semis  
et statim denuo exprimendo, elice.

Liquores mixtos et colatos leni calore a Spiritu Vini destillando libera et denique in balneo aquae evaporando sub perpetua agitatione ad extracti consistentiam redige.

Serva in vase bene clauso.

Sit e rubro fuscum, odoris Cubeborum, saporis similis.

Caetera extracta hoc modo paranda servantur in vasis probe clausis.

Sint coloris obscure fusco-viridis, praebeant cum Aqua solutionem turbidam, spirent odorem herbae adhibitae.

\* **Extractum Digitalis purpureae.**

**Rother Fingerhut-Extract.**

Paratur e foliis recentibus et ramulis florescentibus Digitalis purpureae uti Extractum Aconiti.

Serva caute.

Sit colore obscure fusco, solutione in Aqua fusco-flava, paulum turbida.



\* **Extractum Digitalis purpureae siccum**  
seu **pulveratum.**

Paratur ex Extracto Digitalis purpureae uti Extractum Aconiti siccum.

Serva caute in vitro optime clauso.

\* **Extractum Dulcamarae.**

**Bittersüss-Extract.**

Paratur eadem ratione uti Extractum Campechensis ligni e Stipitibus Dulcamarae, sed evaporatur ad extracti consistentiam.

**Extractum Elaterii.**

**Springgurken-Extract.**

*Extractum Momordicae. Elaterium nigrum. Loco Elaterii albi seu Anglici.*

*Rp.* Fructuum Elaterii maturorum quantum vis.

Contusis succus exprimatur et per pannum laneum coletur. Liquidum tunc leni calore et denique in balneo aquae aut vaporis evaporando ad massae pilularis consistentiam redigatur.

Serva in vasis bene clausis.

Sit coloris e viridi fuscii, cum Aqua solutionem turbidam praebens; saporis amarissimi, acris.

\* **Extractum Ferri pomatum.**

**Aepfelsaures Eisen-Extract. Eisen-Extract.**

*Extractum Martis. Extractum Ferri. Extractum Malatis Ferri. Extractum Martis cum Succo Pomorum.*

*Rp.* Pomorum acidulorum immaturorum quantum vis.

Contunde in mortario lapideo, exprime succum ope preli et adde succo colato:

Filorum ferreorum convolutorum octavam partem ponderis succi.

Mixta stent in lebete e ferro fuso aut laminato, loco tepido, per dies octo ad decem, subinde agitata. Tunc liquorem defunde, per noctem in vasis vitreis aut ferreis residere fac et cola, quo facto leni calore primum in vase ferreo, tum in patina murrhina, balneo aquae imposita, ad extracti spissitudinem evapora.

Serva in olla.

Sit coloris nigri; in Aqua solutionem fere limpidam, nigrescentem exhibens; saporis atramenti.

### \* **Extractum Filicis aethereum.**

**Aetherisches Farrenkrautwurzel-Extract.**

*Oleum Filicis.*

Paratur eadem ratione uti Extractum Cinae aethereum e Radice Filicis recenter collecta, sollicitè mundata, siccata et pulverata.

Serva in vitris bene clausis.

Sit consistentiae syrupi; coloris e fusco-viridis; in Aqua insolubile.

### \* **Extractum Foliorum Juglandis.**

**Wallnussblätter-Extract.**

Paratur e Foliis Juglandis concisis uti Extractum Cubebarum.

### **Extractum Fumariae.**

**Erdrauch-Extract.**

Paratur ex Herba Fumariae eadem ratione uti Extractum Absinthii.



\* **Extractum Gentianae.****Enzian-Extract.**

*Rp.* Radicis Gentianae incisae Libram unam,  
Aquae communis temperaturae 30° R. Libras sex.  
Macera per viginti quatuor horas et cola infusum  
evitando expressionem.

Radicem remanentem denuo cum:

Aquae communis, temperaturae dictae, Libris qua-  
tuor macera, tunc cola et paucissime exprime.

Infusa mixta residere fac et per pannum colata  
primum leni igne in vasis cupreis, stanno obductis,  
evapora, tum in catino murrhino, balneo aquae imposito,  
ad extracti spissitudinem inspissa.

Serva in olla clausa.  
Sit e rubro-fuscum.

\* **Extractum Graminis.****Queckenwurzel-Extract.**

Paratur uti Extractum Absinthii e Radice Graminis,  
probe siccata et grosso modo pulverata.

\* **Extractum Graminis liquidum.**

**Flüssiges Queckenwurzel-Extract. Queckenhonigsaft.**

*Mellago Graminis.*

*Rp.* Extractum Graminis quantum vis.

Solve in:

Aquae communis frigidae quadruplo pondere.

Solutio, decantatione et filtratione depurata, ad  
syrupi consistentiam leni calore inspissetur.

Serva in vasis clausis.

Sit colore e rubro-fusco, solutione in Aqua rubicunda, limpida.

**Extractum Gratiolae.****Gnadenkraut - Extract.**

Paratur ex Herba Gratiolae incisa eadem ratione  
uti Extractum Cubeborum.

**\* Extractum Helenii.****Alantwurzel - Extract.**

Paratur uti Extractum Arnicae e Radice Helenii  
crasse pulverata.

**Extractum Hellebori nigri.****Schwarzniesswurzel - Extract.**

Paratur eadem ratione uti Extractum Arnicae e Ra-  
dice Hellebori nigri crasse pulverata.

**\* Extractum Hyoscyami.****Bilsenkraut - Extract.**

Paratur e foliis recentibus cum ramulis florescentibus  
Hyoscyami ut Extractum Aconiti.

Serva caute.

Sit colore obscure fusco, subviridi; praebet in Aqua solutionem  
fuscam turbidam.

**\* Extractum Hyoscyami siccum  
seu pulveratum.**

Paratur ex Extracto Hyoscyami ut Extractum Aconiti  
siccum.

Serva caute in vasis probe clausis.



## Extractum Ipecacuanhae.

**Brechwurzel-Extract. Braunes Emetin.**

*Emetina fusca. Emetina medicinalis. Emetinum coloratum.*

*Rp.* Radicis Ipecacuanhae grosso modo pulveratae  
Libram unam.

Infunde:

Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Macera in vase clauso per aliquot dies, tunc exprime.

Residuo iterum affunde:

Spiritus Vini rectificatissimi Libras duas.

Macera ut antea et exprime. Liquores misceantur et in balneo vaporis (60° R.) continue agitando, ad densitatem extracti spissi evaporent.

Massam solve in:

Aquae destillatae Partibus quatuor.

Post filtrationem in balneo vaporis (60° R.) inter continuam agitationem ad spissitudinem syrupi evaporet, leni calore exsiccentur et in pulverem redigatur.

Serva caute in vasis bene clausis.

Sit pulvis luteus, solutione in Aqua limpida.

## Extractum Lactucae virosae.

**Gifflattich-Extract.**

Paratur uti Extractum Aconiti ex Herba Lactucae virosae florecenti recenti.

Serva caute.

Sit colore obscure fusco et praebet in Aqua solutionem e fusco-flavam, paululum turbidam.

**Extractum Lactucae virosae siccum**  
seu **pulveratum.**

Paratur uti Extractum Aconiti siccum ex Extracto Lactucae virosae.

Serva caute in vitris clausis.

**\* Extractum Liquiritiae.**

**Süßholz - Extract.**

*Succus Liquiritiae depuratus. Extractum Glycyrrhizae.*

Si forte Succus Liquiritiae venalis ad praeparationem Succus Liquiritiae depurati non purus prostaret, para Extractum Liquiritiae e Radice Liquiritiae, epidermide abrasa, uti Extractum Absinthii, nisi quod ad siccitatem evaporetur.

**Extractum Marrubii.**

**Weiss - Andorn - Extract.**

Ex Herba Marrubii subflorida paretur uti Extractum Absinthii.

**\* Extractum Millefolii.**

**Schaafrippen - Extract.**

Paratur uti Extractum Absinthii ex Herba Millefolii cum summitatibus.

**\* Extractum Myrrhae.**

**Myrrhen - Extract.**

Paratur uti Extractum Aloës aquosum e Myrrha pulverata.

Sit e rufo-flavum, solutione in Aqua turbida.



**Extractum Nicotianae.****Tabak - Extract.**

Paratur ex Herba Nicotianae concisa eadem ratione  
uti Extractum Cubebarum.

**Extractum Nucum Juglandis.****Wallnuss - Extract.**

*Rp.* Fructuum Juglandis nondum maturorum quantum  
libet.

In mortario lapideo cum pauxillo Aquae communis  
contunde, succum exprime ac cola, denique evapora  
blando calore ad extracti consistentiam.

Serva in olla.

Sit e nigro fuscum.

**Extractum Nucum vomicarum  
aquosum.****Wässriges Krähenaugen - Extract.**

Paratur eadem ratione uti Extractum Campechensis  
ligni e Nucibus vomicis, antea probe siccatiss et crasse  
pulveratis.

Serva caute.

Sit pulvis fuscus, solutionem in Aqua turbidam, lactescentem  
praebet.

**\* Extractum Nucum vomicarum  
spirituosum.****Geistiges Krähenaugen - Extract.**

*Rp.* Nucum vomicarum, probe exsiccatarum et crasse  
pulveratarum, Libram unam,  
Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Misce et digere per aliquot dies subinde agitando.  
Tum, decantato liquore, residuum denuo digere cum:

Spiritus Vini rectificatissimi Libra una et dimidia.

Cola et exprime. Tincturas mixtas trans mitte per chartam bibulam, deinde elice Spiritum Vini destillando, ut quinta pars remaneat, quam in patina murrhina, balneo aquae imposita, ad massae pilularis consistentiam evapora.

Serva in olla murrhina aut porcellanea, charta cerata obducta, ut efficacissimum remedium.

Sit colore fusco, sapore peramaro, solutione in Aqua turbida, in Spiritu Vini limpida.

**\* Extractum Nucum vomicarum  
spirituosum siccum seu pulverisatum.**

Paratur uti Extractum Aconiti siccum ex Extracto Nucum vomicarum spirituoso.

Serva in vitro caute clauso.

**\* Extractum Opii.**

**Opium - Extract.**

*Extractum thebaicum. Extractum Meconii. Opium colatum.*

*Rp.* Opii in taleolas secti Uncias tres,  
Aquae destillatae fervidae Libram unam.

Macera per viginti quatuor horas, saepius agitando, tum exprime ope preli. Residuo denuo affunde:

Aquae destillatae Uncias octo,  
iterumque macera per diem et cola. Fluida commixta et refrigerata a sedimento defunde et per pannum laneum, texturae densioris, cola, denique in balneo aquae ad siccitatem evapora sub perpetua agitatione.



Serva in vasis vitreis, probe clausis.

Sit pulvis fuscus, madefactus flavo-fuscus, solutione in Aqua turbida.

Solutio aquosa Extracti Opii cum octuplo menstrui parata, Liquore Ammoniaci caustici addito, praecipitatum albidum, floccosum, majore copia integre solubile, edat.

## **Extractum Polygalae amarae.**

**Bitter - Kreuzblumen - Extract.**

Paratur eodem modo uti Extractum Absinthii e tota planta florente Polygalae amarae.

## **Extractum Pulsatillae.**

**Küchenschellen - Extract.**

Paratur eodem modo ut Extractum Cubebarum ex Herba Pulsatillae concisae.

## **\* Extractum Quassiae.**

**Quassien - Extract.**

Paratur e Ligno Quassiae uti Extractum Campechensis ligni nisi quod evaporetur ad extracti spissioris consistentiam.

## **\* Extractum Ratanhiae.**

**Ratanhia - Extract.**

Paratur e Radice Ratanhiae uti Extractum Campechensis ligni.

Si Extractum Ratanhiae venale bonae indolis praesto est, solvendo, colando et evaporando depuratum adhiberi potest.

\* **Extractum Rhei.****Rhabarber-Extract.***Extractum Rhabarbari.*

Paratur uti Extractum Gentianae e Radice Rhei in frustulis incisa, nisi quod extractum ad siccitatem inspissetur.

Serva in vitris optime clausis.

Sit pulvis fuscus, solutione in Aqua paululum turbida e rubro-fusca.

\* **Extractum Rhei compositum.****Zusammengesetztes Rhabarber-Extract. Purgier-Extract.**

*Extractum catholicum. Extractum panchy-  
magogum.*

*Rp.* Extracti Rhei Partes tres,

Extracti Aloës aquosi Partem unam.

In Aquae communis Partibus quatuor solutis adde:

Saponis jalapini Partem unam, in

Spiritus Vini rectificati Partibus quatuor solutam.

Miscella, in catino murrhino, balneo aquae imposito, evaporet inter agitandum ad massae pilularis consistentiam.

Serva in vase probe clauso.

Sit fuscum et praebeat solutionem in Aqua turbidam, e fusco-flavam.

Extracti hujus Drachma dimidia continet Extracti Rhei Grana duodeviginti, Extracti Aloës aquosi Grana sex, Saponis jalapini Grana sex, vel Resinae Jalapae Grana tria.

**Extractum Rhois toxicodendri.****Gifsumach-Extract.**

Paratur e Foliis Rhois toxicodendri incisis uti Extractum Cubearum.



**Extractum Sabinæ.****Sadebaum - Extract.**

Eadem ratione paratur uti Extractum Cubebarum ex  
Herba Sabinæ incisa.

Serva caute.

**Extractum Salicis.****Weidenrinde - Extract.**

Paratur eadem ratione uti Extractum Campechensis  
ligni e Cortice Salicis, nisi quod ad extracti consisten-  
tiam evaporetur.

**Extractum Saponariæ.****Seifenkrautwurzeln - Extract.**

Paratur eodem modo uti Extractum Absinthii e  
Radice Saponariæ.

**Extractum Sassaparillæ.****Sassaparill - Extract.**

Uti Extractum Absinthii e Radice Sassaparillæ in-  
cisa parandum.

**Extractum Scillæ.****Meerzwiebel - Extract.**

Paratur e Radice Scillæ concisa uti Extractum  
Arnicæ.

**Extractum Secalis cornuti.****Mutterkorn - Extract.**

*Ergotinum. Extractum hæmostaticum.*

*Rp. Secalis cornuti pulverati Uncias sex.*

Macerentur reiterata vice per diem quantitate tripla  
Aquae frigidae et exprimantur. Fluida filtrata et com-  
mixta, in balneo vaporis ad mellaginis consistentiam  
evaporata, commisceantur cum:

Spiritus Vini rectificati Unciis sex,  
et saepius conquassando per diem reponantur. Tunc  
filtrata in balneo vaporis ad syrupi spissioris consisten-  
tiam evaporent.

Serva in vitro clauso.

Sit e rubro fuscum; odoris Agarico campestri similis; saporis  
salsi subausteri; in Aqua et Spiritu Vini perfecte solubile.

## Extractum Senegae.

**Senega - Extract.**

E Radice Senegae crasse pulverata paratur eodem  
modo uti Extractum Arnicae.

## Extractum Stramonii.

**Stechapfel - Extract.**

*Extractum Daturae.*

Paratur e foliis recentibus et ramulis florecentibus  
Stramonii uti Extractum Aconiti.

Serva caute.

Sit colore obscure fusco, solutione in Aqua fusca, turbida.

## \* Extractum Taraxaci.

**Löwenzahn - Extract.**

Eadem ratione paratur uti Extractum Absinthii e  
Radice Taraxaci.



**Extractum Taraxaci liquidum.****Flüssiges Löwenzahn-Extract.***Mellago Taraxaci.*

*Rp.* Extracti Taraxaci Partes tres,  
Aquae destillatae Partem unam.

Misce solvendo.

Paratur ex tempore.

**\* Extractum Trifolii fibrini.****Bitterklee-Extract.**

Paratur ex Herba Trifolii fibrini eodem modo uti  
Extractum Absinthii.

**\* Extractum Valerianae.****Baldrian-Extract.**

Paratur eodem modo e Radice Valerianae crasse  
pulverata uti Extractum Arnicae.

**Farina Hordei.****Gerstenmehl.****\* Farina Hordei praeparata.****Zubereitetes Gerstenmehl.***Amylum Hordei. Hordeum praeparatum.*

*Rp.* Farinam Hordei, et tantum ejus in vas stanneum  
cylindricum immitte ac fortiter comprime, ut vas ad  
duas trientes partes usque repletum sit. Tum vas  
suspendatur in vesica destillatoria, Aqua ad duas trientes  
repleta, et, adaptato alembico, Aqua bulliat diebus binis,

singulo per horas quindecim. Strato supremo farinaceo ablato, massa siccat et in pulverem redigatur.

Serva in loco sicco.

Sit pulvis farinosus, e luteo rubellus; saporis subdulcis, valde mucilaginosi; odoris panis recentis, hordeacei.

## Fel Tauri.

### Ochsengalle.

*Bos Taurus domesticus* Linn., animal domesticum Cl. Mammalia, Ord. Bisulca vel Ruminantia.

Succus proprius, in vesicula fellea animalis supradicti continetur.

Est fusco-flavus vel viridis, consistentiae pituitae, saponaceus, odoris non putridi, sed tamen ingrati, animalis, saporis e dulci peramari et nauseosi, in Aqua perfecte solubilis solutione dilutiore clara.

Sit recentissimum; fel putridum odoris foetidi rejiciatur.

## \* Fel Tauri inspissatum.

### Eingedickte Ochsengalle.

#### *Extractum animale amarum.*

*Rp.* Fellis Tauri recentis quantum libet.

Per telam densioris texturae colatum evaporet in patina murrhina, balneo aquae imposita, ad extracti consistentiam.

Serva uti extracta.

Sit e viridi flavescens, tenax; odoris proprii animalis, nequam putridi; saporis primum dulciusculi, dein amari, nauseosi; in Aqua solutione limpida, subviridi solubile.



**Ferrum.****Eisen.****Mars.**

Metallum notissimum, quod in omnibus fere terris Europae, praecipue in Suecia, occurrit et e mineris vulgatissimis (Magneteisenstein, Braun- und Roth-Eisenstein, Schwefelkies, Spatheisenstein) carbonis ope in officinis liquatoris igni ardente reducitur, tum eo modo eliquatum a majore saltem quantitate materiarum alienarum tam oxydatione, quam tundendo per malleum privatur.

Ferrum est coloris ex albido grysei, politum splens, durissimum ac tenacissimum omnium metallorum, non nimis malleabile, sed valde ductile, sonorum, texturae fibrosae, fracturae uncinatae et pond. spec. 7,788. In omnibus fere acidis facile solubile, rubrum excandefactum quidem molle (schweißbar), sed tantum difficillime igne usque ad albedinem aucto fusibile est; vim magneticam facillime induit nec non a magnete attrahitur. Limatura Ferri e Ferro malleato (Stabeisen) bonae notae praeparanda, limatura autem, a variis opificibus allata, ab usu medicinali removenda est.

**\* Ferrum chloratum.****Eisenchlorür. Salzsaures Eisenoxydul.***Ferrum muriaticum oxydulatum.*

*Rp.* Liquoris Ferri chlorati recens parati et adhuc calidi quantum vis.

Filtra in cucurbitam, collo breviori instructam, tege lamina vitrea et ebullire fac fortiter igne libero. Si fluidum turbari incipit, effunde celeriter in patinam porcellaneam, et evapora bacillo vitreo agitans in balneo aquae vel modico igne libero usque ad siccum.

Sal residuum immitte statim in vitrum bene claudendum.

Sit coloris albido-virescentis, odoris nullius, saporis primum pungentis salini, tum dulciusculi, styptici; in Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo facile solubile. Solutiones sint reactionis acidae ut in salibus Oxyduli Ferri. In aëre deliquescit, simulque decomponitur oxygenium absorbens. Aëris tactu excandefactum relinquit Oxydum Ferri, avolante Ferro sesquichlorato, in vasis clausis autem fere perfecte volatile est.

Solutio praeparati, Acido hydrochlorato paullulum acidulata, Liquore Kalii ferro-cyanati flavi colore coeruleo vix praecipitetur.

### \* Ferrum jodatum saccharatum.

**Jodeisen mit Zucker.**

*Rp.* Limaturae Ferri Drachmas duas.

Immitte in lebetem ferreum politum et affunde:

Aquae destillatae Uncias duas,

tum sensim sensimque admisce:

Jodinae Unciam dimidiam.

Operculo tecta stent per nonnullas horas, tum immitte per aliquot momenta in balneum aquae, et, si opus est, ebullire fac, ut color brunneo-ruber liquidi in pallide virescentem transeat.

Filtra solutionem Ferri jodati tam celeriter, quam fieri potest, abluo filtrum cum Aqua destillata, et immitte fluida conjuncta statim in patinam porcellaneam, quae

Sacchari Lactis Unciam unam cum dimidia continet, bene miscendo. Evapora massam in balneo aquae, diligenter agitans, usque ad consistentiam massae pilularum, tum iterum admisce:

Sacchari Lactis Unciam unam.

Exime post refrigerationem ope spatulae, et perface exsiccationem massae in patinam porcellaneam immitte et charta bibula obtegendae, in fornace exsiccatoria.



Praeparatum obtentum illico in vasis optime claudendis caute servandum est.

Est pulvis salinus, albido-flavescens, in aëre humescens, et in Aqua facile solubilis. Saporis est styptici. Solutio celeriter attrahit aëris oxygenium, et color pallide-subflavescens solutionis eo modo in flavo-fuscum transmutatur.

Praeparatum sit in septem Partibus Aquae perfecte solubile, et solutio admixto Amylo non coerulecat.

Grana sex continent Jodinae Granum unum.

### \* Ferrum oxydatum fuscum.

**Braunes Eisenoxyd. Kohlensaures Eisenoxyd.  
Eröffnender Eisensafran.**

*Ferrum carbonicum. Crocus Martis aperitivus.*

*Rp.* Natri carbonici depurati Uncias septemdecim.

Solve in:

Aquae destillatae Libris quatuor.

Cola per linteam et calefac in vase ferreo satis amplo usque ad ebullitionem. Liquori bullienti sensim sensimque adde:

Ferri sulphurici puri in crystallis Uncias decem eo modo, ut, si effervescentia cessaverit, semper nova copia crystallorum addatur. Sedimentum e fluido praecipitatum, fluido claro decantato, immitte in colatorium, edulcora primum Aqua bulliente communi, tum sedulo Aqua destillata, denique ope preli exprime et sicca calore lenissimo.

Serva in vase bene clauso.

Sit pulvis subtilis, fusco-ruber, inodorus, insipidus, in Acido hydrochlorato sub effervescentia colore aureo solubilis.

Haec solutio acidulata Aqua hydrosulphurata non praecipitetur. Aqua destillata admixto Ferro oxydato fusco calefacta et defiltrata, addito Liquore Baryi chlorati non turbetur.

### \* Ferrum oxydulatum lacticum.

**Milchsaures Eisenoxydul.**

Praeparatum officinarum chemicarum, decompositione Natri lactici et Ferri sulphurici oxydulati, vel ex Acido lactico et Limatura Ferri obtentum

Format grana vel crustas albidas, flavo-fusco-virentes. Sub microscopio spectatae structurae crystallinae apparent, sunt odoris nullius, saporis mitis, dulciusculi, ferrosi, in Aqua non nimis facile, in Spiritu Vini rectificato parum, in Spiritu Vini rectificatissimo minime solvendae.

Solutiones sunt reactionis acidulae. Praeparatum excandefactum decomponitur, sub finem Oxydum Ferri relinquens, et reagentibus exploratum praebeat qualitates salium Oxyduli Ferri; sit a Cupro liberum, quod methodis cognitis detegendum est. Solutio aquosa sit limpida, nec solutione spirituosa Plumbi acetici turbetur.

### \* Ferrum oxydato-oxydulatum.

**Schwarzes Eisenoxydul. Eisenmohr. Eisenoxyd-oxydulhydrat.**

*Ferrum oxydulatum nigrum. Aethiops martialis.*

*Rp.* Ferri sulphurici oxydulati puri Uncias tres.

Solve in sufficiente quantitate Aquae destillatae cum Uncia una Acidi sulphurici puri mixtae. Fluido leniter bullienti sensim sensimque admisce:

Acidi nitrici puri quantum satis,  
ut vapores rubicundi non amplius eructentur, et Liquor Kalii ferro-cyanati rubri admixtus, colore coeruleo non imbuatur. Fluidum dilue Aquae destillatae Unciis octo vel novem. Tum recipe denuo:

Ferri sulphurici oxydulati puri Uncias quatuor, solve in sufficiente quantitate Aquae destillatae bullientis, misce fluidum calidum exacte cum Ferro sulphurico oxydato parato, et instilla liquoribus conjunctis saepius agitans bacillo vitreo:



Liquoris Ammoniaci caustici sufficientem quantitatem tam diu, quam praecipitatio exoriatur. Fluidum adhuc semel ebulliat, et tum sedimentum nigrum decantatione a fluido separandum est. Collige in filtro, elue et exsicca leni calore, et serva in vase clauso.

Ferrum oxydato-oxydulatum sit nigerrimum, pulverisatum paululum in brunneum vergens, inodorum, insipidum; in Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo insolubile; exaestuatum in vase clauso, vapores Aquae exhalans. Siccum, aëri temperatura ordinaria expositum, non permutetur, sed humidum lente oxydatur.

Sit leviter et perfecte sine residuo in Acido hydrochlorato solubile, haec solutio acidula Aqua hydrosulphurata colore fusco-nigro non praecipitetur.

### \* Ferrum pulveratum.

**Eisenpulver.**

*Limatura Martis depurata. Pulvis Ferri  
alcoholisatus.*

*Rp.* Ferrum purum, redige ope limae in scobem et tere assidue in mortario ferreo. Quo facto, pulvis subtilissimus inde ortus per linteum arctioris texturae cernendus est.

Ferrum pulveratum, quod in fabricis, e. g. Stiriae, paratur, bonae notae est, idque Pharmacopoeis adhibere licet, si investigatione chemica purum reperiatur.

Serva in vitro bene obturato.

Sit pulvis subtilissimus, rubigine non conglomeratus, coloris Ferri limati, splendoris metallici, in Acido hydrochlorato sine residuo solubilis. Solutio Ferri Liquoris Ammoniaci caustici copia praevalente praecipitata, tunc filtrata, colore coeruleo tincta ne appareat.

### \* Ferrum sesquichloratum.

**Anderthalb Chloreisen. Salzsaures Eisenoxyd.**

*Ferrum muriaticum oxydatum. Ferrum salitum.*

*Rp.* Ferri in clavis vel in filis Unciam unam.

Immitte in cucurbitam vitream capacem et adde sensim sensimque:

Acidi hydrochlorati puri Uncias quatuor.

Prima vehemente reactione finita immitte vas in balneum arenae et digere donec extricatio gasis perfecte cessaverit, tum filtra.

Solutioni filtratae in cucurbitam immissae admisce sensim sensimque:

Acidi hydrochlorati puri Uncias duas,

Acidi nitrici puri Unciam unam cum dimidia, et calefac solutionem primo olivaceam, tum fusco-virescentem, tam diu, donec vapores coloris latericii amplius non eructentur. Parva quantitas liquidi, Aqua diluta, Kalio ferro-cyanato rubro colore coeruleo non tingatur.

Fluidum, in patinam porcellaneam immissum, in balneo aquae inter perpetuam agitationem evapora usque ad consistentiam syrupi vel ad eum gradum, donec gutta exemta statim congelescat, tum tege campana vitrea et sepone in locum frigidum.

Si omnia in massam salinam siccam conversa sunt, calefac patinam per aliquot momenta, diminue massam, nunc facile eximendam, in frustula et immitte celerrime in vitrum aptum, antea perfecte exsiccatum, statim optime claudendum.

Ferrum sesquichloratum format massam verrucosam, vel pulverem acicularem crystallinum; coloris aurantiaco-flavi; saporis acris, adstringentis, pungentis, salsi. Aëri expositum facillime deliquescit, in Aqua, Spiritu Vini rectificatissimo et Aethere penitus solubile est, et solutiones reactionis acidae sunt. Leniter calefactum fusibile est, calore aucto partim sine decompositione volatife est, partim autem decomponitur.

Admixta solutione Ferri sulphurici puri colore obscuriore, brunneo, non imbuatur, et solutione Kalii ferro-cyanati rubri non coerulestat.

Ferrum politum, in solutionem immissum, etiam post longius tempus nullo modo colore cupreo rubro obducatur.



### \* Ferrum sulphuricum purum.

**Reines schwefelsaures Eisenoxydul. Reiner Eisen-  
vitriol. Reiner grüner Vitriol.**

*Vitriolum Martis purum. Vitriolum viride purum.*

*Rp.* Acidi sulphurici concentrati puri Libram unam.

Misce lege artis in cucurbita satis ampla cum:

Aquae destillatae Libris quatuor.

Sensim immitte:

Ferri in filis Uncias octo.

Effervescentia peracta, liquorem per aliquot tempus sepositum ebullire fac, filtra adhuc fervidum a metallo non soluto, admisce:

Acidi sulphurici puri Drachmas duas  
et lege artis in crystallos redige.

Ablutas et temperatura ordinaria siccitas serva in vitris probe clausis, adversus lucis et aëris accessum munitis.

Referat signa chemicophysica Ferri sulphurici venalis. Lamina ferrea polita, in solutionem salis immersa, post aliquod tempus Cupro non obducta sit. Si solutio praeparati Liquore Kali caustici in excessu admixto praecipitata est, fluidum, a sedimento orto defiltratum, admixta solutione Kali carbonici colore albido non praecipitetur.

### \* Ferrum sulphuricum venale.

**Käufliches schwefelsaures Eisenoxydul. Käuflicher  
grüner Vitriol.**

*Vitriolum viride venale.*

Rarius nativum occurrit, venale oxydatione Ferri sulphurati nativi impuri aëris accessu in officinis metallariis paratur. Occurrit vel in glebis crystallinis, vel in crystalis rhomboideo-prismaticis, pellucidis, viridibus, nitentibus, saepius pulvere albo-flavescente adpersis.

Saporis dulciusculi, styptici et in Aqua facile solubiles sunt.

Calore liquefiunt, et aestu adaucto Acidum sulphuricum sic dictum Nordhusianum edunt, Ferro oxydato cum parca quantitate Acidi sub nomine Capitis mortui, Colcothar, remanente.

Eligatur bene crystallisatum, viridissimum; nec continet nimis Cupri, Zinci et Mangani.

### \* Flavedo Corticum Aurantium.

**Gelbes der Pomeranzenschalen.**

Epidermis corticis ope cultri a parenchymate albo spongioso interno separata et siccata.

Sit brunneo-aurantiaca, aspera, fragilis, odoris amoeni aromatici peculiaris, saporis similis amari.

### \* Flores Arnicae.

**Arnikablumen. Wohlverleihblumen.**

*Arnica montana* Linn., planta perennis indigena in pratis paludosis montanis crescens. Cl. XIX. Ord. II syst. Linn. — Fam. Compositeae (Asteroideae) syst. natural.

Flores compositi, radiati, aurei, solitarii, terminales, erecti, squamulis calycinis lanceolatis, brevioribus, apice purpureis, filamentis castratis, pappo sessili, denticulato, fragili. Odoris sunt debilis haud grati et saporis amariusculi, acris; inter digitos fricati sternutationem movent.

Flores celeriter siccati, ab involuero separati servantur in cistulis e ferro, stanno obducto, paratis.

Ne corrosi sint a larvis nigris *Muscae Arnicae*; flores nonnullarum specierum *Inulae*, *Doronici* et cet., qui interdum loco *Arnicae verae* colliguntur, colore lucidiore et sapore minus acri et vellicante facile distinguuntur.



**Flores Aurantii.****Pomeranzenblüthen.***Flores Naphae.*De planta materna vide: *Cortex Aurantii.*

Florum recentium corolla pentapetala, candida, car-  
nosa; odore suaviter fragrantissimo, sapore amariusculo,  
aromatico.

Recens collecti et siccati sunt sordide flavescentes.

Si condiuntur Rp.: Florum recentium Partes duas,  
Natrii chlorati Partem unam.

Misce bene in mortario lapideo et serva in loco frigido.

**Flores Brayerae anthelminticae.****Kusso oder Kosso.***Cusso.*

*Brayera anthelminthica* Kunth., arbor in  
montibus Abyssiniae Cl. XII. Ord. VIII syst. Linn. —  
Fam. Rosaceae (*Dryadeae*) syst. natur.

Flores sunt colore viridi-purpureo variegati, nunc  
paniculis magnis, villosissimis, nunc ramulis carptis insi-  
dentes, intermixtis stipitibus et foliis, odoris debilis,  
balsamici, saporis subamari, austeri.

Serva loco sicco in vasis bene clausis, luci non perviis.

**\* Flores Chamomillae Romanae.****Römische Kamillen.**

*Anthemis nobilis*, Linn., planta perennis spon-  
tanea Europae meridionalis, apud nos in hortis culta  
Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Compositeae  
(*Anthemideae*) syst. natur.

Flores pedunculati, compositi, radiati, calyce communi hemisphaerico, squamis linearibus adpressis; flosculis disci flavis, infundibuliformibus, ore crenatis, suaviter fragrantibus, sapore aromatico, amariusculo; flosculis radii numerosis albis ligulatis, linearibus, obtusis, vix odoris et saporis ullius. Receptaculum est conicum, pileaceum.

Flores pleni plerumque adhibentur; cum floribus plenis Matricariae (Pyrethri) Parthenii et Achilleae Ptarmicae non confundendi. Receptaculum florum Matricariae Parthenii est subconvexum et rotundum, flores Achilleae Ptarmicae acerrimo sapore dignoscendi sunt, et minime odore delectant.

### \* Flores Chamomillae vulgaris.

**Kamillenblumen.**

*Matricaria Chamomilla* Linn., planta annua ubicunque fere in arvis totius Germaniae frequens. Cl. XIX. Ord. II syst. Linn. — Fam. Compositeae (Anthemideae) syst. natur.

Sunt capitula florum terminalia pedunculata, floribus radii ligulatis albis, disci minimis, tubulosis, flavis, involucris squamis imbricatis, margine scariosis, glabris, receptaculo conico, nudo, cavo; pappo nullo. Odoris sunt peculiaris, grati, fragrantis, saporis aromatici, amari. Flores inter siccandum valde corrugantur.

Flores Chamomillae vulgaris a floribus inodoris Anthemidis arvensis et a floribus foetidis Anthemidis Cotulae summa cura distinguendi sunt; praeterea in receptaculo Anthemidarum dictarum paleae setaceae reperiuntur. Flores Matricariae inodoraе (Chrysanthemum inodorum) sunt saporis acris, inodori, multo majores, et receptaculum eorum est intus medullosum.

### Flores Convallariae majalis.

**Mayblumen.**

*Flores Liliorum Convalliorum.*

*Convallaria majalis* Linn., planta perennis



Germaniae, Cl. VI. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Smilacaeae syst. nat.

Flores sedentes in scapo erecto, nudo, anguloso, laevi, racemoso, secundo. Sunt breviter pedunculati, nutantes, candidi, monopetali, corolla campanulata, sexfida, odoris amoeni. Siccati sternutationem movent.

## \* Flores Lavandulae.

### Lavendelblumen.

*Lavandula vera* Decand., fruticulus Europae australis, apud nos in hortis culta. Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Corollae sunt nondum evolutae, parvae, in spicam terminalem dispositae, cylindricae, cum calycibus similiter cylindricis, subquinque-dentatis, subcoeruleis, subtomentosis, odoris suavis aromatici, saporis aromatici, subcamphorati.

Nimis vetustas, coloris et odoris debilioris, rejice.

## Flores Liliorum.

### Lilienblumen.

#### *Flores Liliorum alborum.*

*Lilium candidum* Linn., planta perennis in Oriente indigena, apud nos in hortis. Cl. VI. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Liliaceae syst. natur.

Corollae sunt magnae, campanulatae, petalis sex niveis, lanceolatis, obtusis, erectis, apicibus revolutis, antheris luteis. Recentes sunt odoris suavis, siccatae inodoraе et fuscescentes.

## Flores Malvae arboreae.

### Stockrosen.

*Althaea rosea* Cavanill., planta biennis Orientalis, apud nos culta, Cl. XVI, Ord. VIII syst. Linn. — Fam. Malvaceae syst. natur.

Flores solitarii, calyce duplici tomentoso, exteriore multipartito, interiore quinquefido; corolla pentapetala, saepe plena, atropurpurea, duos pollices fere longa, saporis mucilaginosi, subadstringentis, odoris nullius.

Flores integri et plane evoluti colligantur.

## \* Flores Malvae vulgaris.

### Gemeine Malvenblumen.

*Malva rotundifolia* et *sylvestris* Linn., plantae perennes, ubicunque fere in Germania. Cl. XVI. Ord. VIII. syst. Linn. — Fam. Malvaceae syst. natur.

Flores sunt sub plenaria anthesi decerpti, calice involucrato, corolla monopetala, quinque-partita, rosea, staminibus monadelphis. Sunt odoris nullius, saporis mucilaginosi.

## \* Flores Millefolii.

### Schaafgarbenblumen.

De planta materna vide: Herba Millefolii.

Flores compositi, parvi, albi, rarius rubicundi, corymbosi, ovales, involucri squamis rotundatis, subtomentosis, margine scariosis, ligulis brevibus latissimis, odoris subaromatici, saporis acriusculi, amari, balsamici.

Summitates Millefolii para miscendo Partes aequales Herbae et Florum Millefolii.



## \* Flores Rhoeados.

Klatschrosenblumen. Klapprosen.

*Flores Papaveris Rhoeados.*

*Papaver Rhoeados* Linn., planta annua frequens Germaniae, Cl. XIII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. *Papaveraceae* syst. natur.

Corolla tetrapetala, petalis circiter pollicem longis, basi attenuatis, subundulatis, integris, purpureis, ungue nigro, odoris debilis, haud grati, saporis submucilaginosi.

Collige petala sine calycibus et sicca celeriter.

Ne confundantur cum floribus *Papaveris Argemones*, qui jam colore pallide-scarlatino satis differunt.

## \* Flores Rosae centifoliae.

Centifolien- oder Gartenrosen.

*Flores Rosarum incarnatarum.*

*Rosa centifolia* Linn., frutex Asiae temperatae apud nos frequentissimus in hortis. Cl. XII. Ord. VIII syst. Linn. — Fam. *Rosaceae* syst. natur.

Petala pallide rubentia, obcordata, suaveolentia, notissima. Recentia vel sale condita destillationi *Aquae Rosarum* inserviunt, siccata praeparationi *Mellis rosati*.

## \* Flores Sambuci.

Fliederblumen. HOLLUNDERBLUMEN.

*Sambucus nigra* Linn., arbor Germaniae frequentissima, Cl. V. Ord. III syst. Linn. — Fam. *Caprifoliaceae* (*Lonicereae*, *Sabucinae*) syst. natur.

Cymae florentes corollis pedicellatis epigynis, monopetalis, quinquelobis, rotatis, pallide sulphureis, laciniis

reflexis, calyce parvo, quinquedentato, polline flavo, tubo brevi crasso, odoris haud ingrati, subnarcotici, saporis subaromatici, amariusculi, mucilaginosi.

Collige tempestate sicca, pedunculos rejice.

Serva bene in vasis clausis.

Flores nigrescentes, sicuti quisquiliis et pedunculis intermixtos rejice. Ne confundantur cum floribus trilobis, rubicundis, odorem ingratum spirantibus Sambuci Ebuli, et floribus Sambuci racemosae, in racemis sedentibus.

### \* Flores Tiliae.

Lindenblüthen.

*Tilia Europaea* Linn. *Tilia microphylla* Venten. *Tilia platyphylla* Scop. et nonnullae varietates floribus suaveolentibus, arbores Europae. Cl. XIII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Tiliaceae.

Cymae floridae terminales, in pedunculis tri- ad sexfloris, bracteatis, bracteis herbaceo-membranaceis, albidis, linearibus, oblongis, integerrimis, reticulato-venosis, calyce quinque-partito, deciduo, albido, corolla pentapetala, albide-lutescente, petalis lutescentibus, suaveolentibus, staminibus plurimis albidis, corollam superantibus, germine subgloboso, hirsuto. Sunt saporis dulciusculi, siccati fere inodori.

Collige semper cum bracteis, nec ultra annum serva.

Rejice flores odoris expertes *Tiliae parviflorae* etc.

### \* Flores Verbasci.

Wollblumen. Königskerze.

*Verbascum Thapsus* Schrad. *Verbascum thapsiforme* Schrad. et *Verbascum phlomisoides* Linn., plantae biennes frequentes Germaniae, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Scrophularineae syst. natur.



Corollae sunt breviter pedunculatae, monopetales, quinquelobae, in racemum dispositae, rotatae, magis minusve aureo-flavae, limbo inaequali quinquefido, filamentis tribus villosis, duobus nudis, odoris peculiaris, suavis, saporis mucilaginosi, subdulcis. Calyces quinquepartitos tomentosos rejice; sicca celeriter et caute; serva optime in vasis antea calefactis.

Coelo pluvio collectos, nigricantes remove.

Ne confundantur cum floribus Verbasci nigri minoribus, corollis fauce rubra maculatis, filamentis violaceo-villosis.

### \* Folia Aurantii.

**Pomeranzenblätter. Orangenblätter.**

De planta materna vide: Cortex Aurantii.

Folia ovato-oblonga, acuminata, subserrata, coriacea, glabra, supra laete, infra pallidius, sed semper virentia, glandulis oleiferis, circa marginem majoribus, punctata; saporis aromatico-amariusculi; odore fragranti, grato.

Interdum fraudulentè folia Citri Limonum substituuntur, a quibus petiolis alatis, late-obovatis, dignoscuntur. — Folia Citri medicae sunt petiolo nudo vel anguste-marginato praedita.

### Folia Bucco.

**Buckblätter.**

*Folia Buchu.*

*Barosma crenulata* Willd. *Diosma crenulata* Linn., frutex promontorii bonae spei. Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Rutaceae syst. natur.

Folia sunt ovato-lanceolata, subpetiolata, 1 ad 1½ pollices longa, 2 ad 5 lineas lata, margine obtuse serrato; pallide viridia, subcoriacea, glaberrima, subnitida, subtus glandulis conspersa. Odore peculiari aromatico, sapore simili, *Menthae* haud alieno, gaudent.

Folia longiora, angustiora, lineato-lanceolata *Barosmae serratifoliae* Willd. quoque adhibere licet.

\* **Folia Juglandis.****Wallnussblätter.**

*Juglans regia* Linn., arbor Persiae et Indiae orientalis, in Germania culta. Cl. XXI. Ord. VII. syst. Linn. — Fam. Juglandaceae syst. natur.

Folia sunt impari-pinnata, quinque- ad novemjuga, foliolis ovato-oblongis, acutis, subtus in venarum axillis pubescentibus. Sunt odoris peculiaris, aromatici, saporis amariusculi, subacris.

Sicca calore, gradus 30 R. non excedente, et serva bene.  
Siccata sint viridia, minime fusca.

**Folia Lauro-Cerasi.****Kirschlorbeerblätter.**

*Prunus Lauro-Cerasus* Linn., arbor semper-virens orientalis, apud nos quoque culta. Cl. XII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Amygdalaceae syst. natur.

Folia sunt sempervirentia, opaca, coriacea, petiolo brevi, terete, superne sulcato; quatuor ad sex pollices longa, argute serrata, ovato-lanceolata, acuta, utrinque glabra, venosa, nervo medio prominente, ad venarum inferiorum axillas lacunata. Odor foliorum tritorum est fragrans amygdalinus, sapor aromaticus, styptico-amarus.

Folia recentia solummodo ad Aquam Lauro-Cerasi destillandam adhibeantur.

\* **Folia Sennae.****Sennesblätter.**

Miscela variarum specierum Cassiae, fruticum Aegypti, Dongolae et Nubiae, Cl. X. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Leguminosae-Caesalpineae syst. natur.



Cassia lenitiva, C. lanceolata et C. obovata praebent Folia Sennae sic dicta Alexandrina, quae optimae indolis sunt. Folia sunt lanceolata, acuta vel obovata, vel ovalia, unguem circiter longa, 3 lineas lata, glabra vel subpubescentia, mucronata, basi inaequalia, breviter petiolata, venosa, pallide viridia, subtus glauca, margine inflexo, odoris peculiaris, saporis amaricantis.

Sint a stipitibus majoribus et crassioribus, sicut foliis heterogeneis, quantum fieri potest, libera.

Folia Cynanchi Arghel (Cl. V. Ord. II. Fam. Asclepiadeae), quae multo longiora, ovato-lanceolata, magis coriacea, crassiuscula, rigida, ex albido viridia, parum venosa, pilis longis incumbentibus et multo amariora sunt, minima tantum quantitate Foliis Sennae Alexandrinis intermixta sint.

Folia Sennae Tripolitana, quibus praeter alias species folia Sennae obtusatae intermixta sunt, Alexandrinis quidem similia, sed solummodo his deficientibus usui pharmaceutico inserviant.

Cassia acutifolia praesertim in Arabia felici et Aegypto superiore crescens, praebet Folia Sennae Indicae, quae nunquam, nisi medico postulante, dispensentur. Sunt angusta, lineari-lanceolata, acuta, membranacea, multo largiora, 3 ad 4 lineas lata, subtus pubescentia, glabra, e glauco-viridia, tenuia, fragilia.

Folia Sennae sic dicta parva, venalia occurrentia, fragmenta foliorum referentia, ob frequentem adulterationem rejiciantur.

Folia Sennae vera nec confundantur cum foliis obcordatis, laetiviridibus, tenuioribus Coluteae arborescentis, nec foliis narcoticis ovalibus, lanceolatis, glabris, crassioribus, glaucis, trinerviis, nervo medio in mucronem desinente, inodoris Coriariae myrtifoliae.

## \* Folia Uvae Ursi.

### Bärentraubenblätter.

Arbutus Uva Ursi Linn. (Arctostaphylos

*Uva Ursi* Sprengel.) fruticulus sempervirens in sabulosis Germaniae borealis. Cl. X. Ord. I syst. Linn. — Fam. Ericineae syst. natur.

Folia sunt in caule caespitose, decumbente; breviter petiolata, parva, obovata, plerumque margine subrevoluta, integerrima, nitentia, glabra, coriacea, duriuscula, supra flavido-viridia, subtus pallidiora, venis reticulatis, inodora, saporis adstringentis, subamari.

Ne confundantur cum foliis *Vitis* *Idaeae*, quae similia sed majora, basi latiora, tenuiora, subtus punctata sunt.

Folia *Buxi* sempervirentis subtus nec punctata sunt, nec venas reticulatas praebent.

## Formica.

### Ameise.

*Formica* rufa, Insecta Hymenoptera (Hautflügler), Familia Formicarum, in sylvis acerosis Germaniae gregatim viventia.

Sunt insecta neutra, aptera, thorace ferrugineo et abdomine nigricante, pedibus ferrugineis, odorem acidum peculiarem spargentia.

Viventia, a quisquiliis perfecte mundata et in Spiritu Vini rectificatissimo necata, adhibeantur.

Solummodo ad Spiritum Formicarum parandum inserviunt.

Formicis fuscis et nigrae substitui possunt, sed insecta, hortos incolentia et virtutis debilioris, nunquam sunt adhibenda.

## \* Fructus Aurantii immaturi.

### Unreife Pomeranzen.

#### *Poma Aurantiorum immatura.*

De planta materna vide: Cortex Aurantii.

Fructus immaturi, ab arboribus delapsi et siccati, globosi, elliptici, magnitudinis pisi sativi usque nucis



moschatae, e viridi subnigri, scabri, rugosi, cortice coriaceo, oleo aethereo gravi; odoris grati, aromatici; saporis amari.

## Fructus Capsici annui.

**Spanischer Pfeffer.**

*Piper Hispanicum seu Indicum.*

*Capsicum annuum* Linn., planta annua Americae meridionalis, apud nos culta. Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Solaneae syst. natur.

Bacca subcarnosa, non pulposa, plerumque oblonga, obtusa, conica, basi saepius cordata, fusco-rubra, nitida, intus cava, bi- ad trilocularis, seminibus depressis, albis, lentiformibus, recens secta odoris fere tabacini, sternutationem moventis, saporis fervidi, piperacei.

## Fructus Citri.

**Citronen.**

*Poma Citri.*

*Citrus medica* Linn. (*C. Limonium* Decand.) planta indigena Mediae et Persiae, in Europa australi, praesertim in Italia, culta, apud nos in hibernaculis, Cl. XVIII, Ord. III syst. Linn. — Fam. Aurantiaceae (*Hesperideae*) syst. natur.

Fructus sunt cuique noti, in epidermide oleum aethereum continentes. Parenchyma novemloculare succo grato, acido turget. Mucidi et putridi, sicuti nigris maculis foedi rejiciantur.

Succus Citri semper recens expressus et colatus dispensetur, nisi succus venalis verbis expressis praescribitur.

**Fructus Mori.****Maulbeeren.**

*Morus nigra* Linn., arbor orientalis, in Europa culta, Cl. XXI. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. Moreae syst. natur.

Baccae atro-purpureae vel nigrescentes, succo rubro, acidulo, grato, subadstringente turgidae.

Solummodo recentes ad syrupum parandum inserviant.

**Fructus Rubi Idaei.****Himbeeren.***Baccae Rubi Idaei.*

*Rubus Idaeus* Linn., frutex Europae spontaneus, etiam in hortis cultus, Cl. XII. Ord. VIII. syst. Linn. — Fam. Rosaceae syst. natur.

Baccae notissimae, rubrae, conico-hemisphaericae, suaveolentes, saporis aciduli, grati.

Solummodo recentes ad praeparationem Syrupi et Aquae Rubi Idaei adhibeantur.

**\* Galbanum.****Mutterharz.***Resina seu Gummi Galbani.*

Succus induratus plantae non satis cognitae, forsitan Galbani officinalis? D. Don. *Opoïdiae galbaniferae*? Lindl. (*Ferula erubescens* Aucher-Eloy secund. Bushe.) Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Gummi-resina rarius occurrit in granis siccis, subflavis, intus albidis, oblongis, pisi magnitudinis; plerumque in massis e subviridi- et subfusco-luteis, paullulum



splendentibus, margine subdiaphanis, e glebis granisque intus albidis conglutinatis, fractura inaequali-conchoidea. Frigore est fragilis et friabilis, sed jam calore manuum lentescens; odoris gravis haud grati, saporis ferventis, amaro - acris.

In Aqua pars quarta ponderis sui solvitur, Spiritus Vini rectificatissimus duas tertias partes extrahit.

Galbanum purum fusco-flavum in massis haud minoris pretii est quam illud, quod in granis occurrit; sed nigro-fuscum, arena et quisquiliis valde inquinatum, rejiciatur.

### \* Galbanum depuratum.

**Gereinigtes Mutterharz.**

Paratur eadem ratione ut Ammoniacum depuratum.

### \* Gallae.

**Galläpfel.**

*Quercus infectoria* Olivier., arbuscula sempervirens orientalis, Cl. XXI. Ord. VII. syst. Linn. — Fam. Amentaceae (Cupuliferae).

Oriuntur in foliis plantae supradictae punctura Cynipis Gallae tinctoriae.

Sunt variae magnitudinis,  $\frac{1}{3}$  ad  $\frac{3}{4}$  pollicis diametro, globosae, basi attenuatae, durae, rugosae, verrucosoechinatae, interdum foramine praeditae, e glauco-coerulescentes, subnigrae vel flavescentes, odoris nullius, saporis valde adstringentis.

Ponderosae, coloris magis nigri, intus densae, extra protuberantiis praeditae praevalent; leviores, frequentissime perforatae et spongiosae non adhibeantur.

**Gelatina Cornu Cervi.****Hirschhorn - Gallerte.**

*Rp.* Cornu Cervi raspati Uncias novem,  
 Collae Piscium Drachmam unam cum dimidia,  
 Aquae communis Libras quatuor.  
 Coque ad remanentiam Unciarum sedecim. Cola  
 et adde liquori post aliquod tempus decantato:  
 Succi Citri recentis Drachmas sex,  
 Vini albi Rhenani,  
 Sacchari albi, singulorum Uncias tres.

Sit pellucida.  
 Paratur ex tempore.

**Gelatina Caragheen.****Caragheen - Gallerte.**

*Gelatina Fuci crispi. Gelatina Lichenis Caragheen.*

*Rp.* Caragheen Drachmas sex.  
 Coque cum:  
 Aquae communis Libra una cum dimidia  
 ad colaturam Librae unius.  
 Decoctum leni calore evapora ad Libram semis et  
 adde solvendo:  
 Sacchari albi Drachmas sex.  
 Iterum colando et refrigerando fiat Gelatina Un-  
 ciarum sex.  
 Para ex tempore.

**Gelatina Lichenis Islandici.****Isländisch Moos - Gallerte.**

*Rp.* Lichenis Islandici incisi Libram semis.  
 Infunde per aliquod temporis spatium Aquae communis  
 fervidae quantitatem sufficientem. Qua defusa lichenem  
 lotum coque in:



Aquae communis Libris tribus,  
usque colatura Unciarum decem supersit, quae leni  
calore ad Uncias sex evaporet. Tum adde solvendo:

Sacchari albi Drachmas sex.

Iterum colando et refrigerando fiat Gelatina Un-  
ciarum sex.

Para ex tempore.

## Gemmae Populi.

**Pappelknospen.**

*Oculi Populi.*

*Populus nigra* Linn. *Populus dilatata*  
Willd. *Populus balsamifera* Linn., arbores in  
Germania cultae, Cl. XXII, Ord. VII syst. Linn. —  
Fam. Salicineae syst. natur.

Gemmae (oculi) juniores, succo resinoso, viscido  
turgentes; odoris sunt grati.

Recentes et priusquam dehiscunt ad Unguenti Populi praepara-  
tionem inserviunt.

## Glandes Quercus.

**Eicheln.**

De planta materna vide Cort. Quercus.

Fructus sine cupulis, sunt ovato-oblongi, glabri,  
superius subfusci, inferius albi, sub testa coriacea fragili  
nucleum albidum offerentes, cuticula ferruginea tectum,  
amarum, austerum.

Sint perfecte maturi, minime insectis corrosi. Vetustiores, sicut  
mucidi, rejiciantur.

## \* Glandes Quercus tostae.

Geröstete Eicheln. Eichelkaffee.

*Nuces quernae tostae.*

Glandes Quercus a pericarpis mundatae et siccatae in cylindro cavo ferreo clauso super ignem circumagendo torreantur, donec fuscum induerint colorem.

Refrigeratas in pulverem crassum redige.

Sit pulvis subfuscus; odoris sub-empyreumatici, coffeae tostae propinqui; saporis paris dulciusculi, vix styptici.

## Glycerinum.

Glycerin. Glyceryloxydhydrat. Scheelsches Süß.

*Rp.* Emplastri Lithargyri recenter parati, quantum vis. Coque in lebete cum:

Aquae fontanae quantum satis per horam.

Per fluidum aquosum, ab emplastro separatum, immitte Gas hydrothionicum tam diu, donec Plumbum perfecte praecipitatum sit. Fluidum a sedimento defiltratum decolora admixto Pulvere Carbonis, tum filtra denuo et filtratum leni calore ad consistentiam syrupi inspissa.

Sit decolor vel subflavescens, odoris expers, saporis dulcissimi, ponderis specifici = 1,25 ad 1,27.

In Aqua et Spiritu Vini perfecte solubile est. Igni fortiore decomponitur.

## Graphites.

Graphit. Reissblei.

*Plumbago.*

Minerale Angliae, Austriae, Saxoniae aliarumque terrarum, quod in montibus primitivis et formationis transitoriae occurrit.



Massas constituit fere semper amorphas, compactas, chalybeo-griseas et nigrescentes, opacas, attactu pingues, valde depingentes, insipidas, facile rumpendas et secandas, structurae squamosae, rarius densae, splendoris metallici, fracturae granulosae, subconchoideae, nitentis, ponderis specifici 2,24 ad 2,45. Graphites, etsi non fusibilis, tamen aestu fortiori accedente aëre comburatur, relicta plerumque quantitate variante Oxydi Ferri. Acidum hydrochloratum, sicut Aqua regia nihil solvunt nisi quantitatem parvam et variabilem Ferri oxydati, quam Graphites plerumque continet. Solutio acida, cum Aqua hydrosulphurata mixta, colore brunneo vel nigro non imbuatur.

Antimonium crudum, cum quo Graphites interdum adulteratur, est ponderosius, digitos minus inquinans, ab Acido hydrochlorato bulliente, gas Acidi hydrosulphurati exhalans, solvitur, et solutio reactiones Antimonii chlorati praebet.

## Graphites depuratus.

### Gereinigter Graphit.

*Rp.* Graphitidis laevigati Libram unam.

Decoque cum quantitate sufficiente Aquae communis per horam.

Tum, Aqua decantata, adde:

Acidi hydrochlorati puri,

Acidi nitrici puri, singulorum Uncias duas,

Aquae destillatae Uncias octo.

Digere per viginti quatuor horas saepius agitando. Liquorem acidum decanta et residuum Aquae communis quantitate sufficiente edulcora et sicca.

Sit pulvis subtilissimus a Ferro et terris liber.

\* **Gummi Arabicum.****Arabisches Gummi.***Gummi Mimosae.*

*Acacia Ehrenbergii*, Hayne et Nees. *Mimosa tortilis*, ac *Mimosa Seyal* Forsk. et aliae species hujus generis, frutices in Africae borealis desertis nascentes, Cl. XXIII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Leguminosae-Mimoseae syst. natur.

E cortice plantarum dictarum exsudat, et in aëre obdurat. Occurrit in frustis saepe globosis vel irregularibus, nucem avellanam usque juglandem magnis, albis seu flavescentibus, scabris, rugosis, vitreo-nitentibus, fragilibus, subpellucidis, fracturae conchoideae, odoris nullius, saporis fatui, mucilaginosi, pond. spec. = 1,4. Calore non liquatur, sed intumescens difficulter comburitur. In Spiritu Vini insolubile est. Pulverisatum coloris albi est.

Eligatur album et in Aqua perfecte solubile.

Non licet substituere Gummi Senegal, in Senegambia collectum, quod quidem simile, sed majus, durius et intus quandoque cavum est. Gummi impurum, rubrum vel brunnescens rejiciatur.

\* **Gutti.****Gummigutt.***Gummi Guttae.*

Arbor non satis cognita Ceylonensis, forsitan *Hebradendron cambogioides* Grah., Cl. XIII, Ord. I syst. Linn. — Fam. Guttiferae syst. natur.

E trunco et ramulis sauciatis emanat.

Gummiresina occurrit in frustis magnis, difformibus, compactis, fragilibus, opacis, subnitentibus, lacte e fusco luteis, fracturae conchoideae, odoris debilis, subnauseosi,



saporis primum vix ullius, dein ex acri dulciusculi. Salivam colore luteo imbuit, et partim in Spiritu Vini rectificatissimo, partim in Aqua solubilis est. Pulvis colorem luteo-aureum praebet. Gutti Siamense praestet.

Caute serva.

Gutti sit a quisquiliis liberum; sordide rubro-fuscum, cavernaculis praeditum, fracturae minus conchoideae et sine nitore removeatur.

## \* Herba Absinthii.

**Wermuth.**

*Artemisia Absinthium* Linn., Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Compositae-Artemisiaceae syst. natur.

Planta in ruderalis et sepibus Germaniae crescens, in hortis culta. Caulis est erectus, folia caulina inferiora sunt triplicato-pinnatifida, superiora pinnatifida, laciniis ultimis lanceolatis, antrorsum latioribus, floralia indivisa, omnia utrinque praesertim subtus sericeo-tomentosa et coloris incano-glauci. Flores compositi sunt nutantes, subglobosi, parvi, flavi, receptaculum est conicum, tomentosum.

Planta odore gaudet aromatico, gravi et sapore amarissimo.

Caulis crassiores sunt removendi. Infusum aquosum Herbae Absinthii admixto Ferro sesquichlorato soluto colore glauco-viridi imbuitur.

## Herba Aconiti.

**Sturmhutkraut.**

*Aconitum Neomontanum* Willd., *Aconitum Stoerckeanum* Reichenbach., *Aconitum Cammarum* Hayn.

Planta montana pereennis Germaniae et Helvetiae, Cl. XIII, Ord. III syst. Linn. — Fam. Ranunculaceae-Aconiteae syst. natur.

Planta in hortis medicis culta nullo modo usui medicinali adhibeatur, sed herba ab omnibus speciebus Aconiti in Germania sponte nascentibus, quae flore coeruleo gaudent, mense Majo vel Junio colligi potest.

Celeriter et sollerter loco umbroso siccanda, bene et caute ut venenum servanda est.

Caulis est superne saepius usque ad flores pubescens; folia subdigitata, petiolata, quinquepartita sunt, laciniis primariis cuneiformibus, inciso-pinnatifidis, ultimis acutis, superficie glabra et nitentia. Supra sunt saturate viridia, inodora, si non trita, et saporis primum vix ullius, tum valde acris. Flores coerulei, galea erecta ad sex lineas alta, rostro magis minusve recurvo, calcaribus incurvis, pedunculo brevi, stant in racemum simplicem plus minusve ramosum collecti.

Infusum aquosum Herbae Aconiti Liquore Ferri sesquichlorati colore obscure-viridi, Tinctura Gallarum colore griseo-albido imbuatur.

## \* Herba Althaeae.

**Altheekraut. Eibischkraut.**

*Althaea officinalis* Linn., planta perennis, interdum spontanea plerumque culta, Germaniae, Franco-galliae et Angliae, Cl. XVI. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Malvaceae syst. natur.

Folia sunt petiolata, inaequaliter et acute crenata, quinquenervia, incano-albida, tomento molli incano tecta, inodora, fere insipida, mucilaginoso. Inferiora sunt cordato-rotundata, quinqueloba, superiora oblonge-ovata, subtriloba.



## Herba Arnicae.

**Arnikakraut. Wohlverleihkraut. Fallkraut.**

De planta materna vide: Flores Arnicae.

Folia sunt in caule subsimplici oblongo-ovata, utrinque hirta, superne obscure-viridia, saepius maculis parvis rubris notata; subtus pallide viridia, obtusiuscula, quinque-<sup>3</sup>quennervia, venosa, integra. Sapor et odor sunt fere iidem ut radicis.

Ante florescentiam colligenda.

## Herba Belladonnae.

**Belladonna-, Toll- oder Wolfskirschenblätter.**

*Folia Belladonnae. Herba Atropae.*

*Atropa Belladonna* Linn., planta Germaniae in sylvis umbrosis et montanis spontanea, Cl. V. Ord. I syst. Linn. — Fam. Solaneae syst. natur.

Folia sunt in ramis saepe gemina, viridia, magna, ovata, acute-integerrima, tenuia, in petiolum brevem attenuata, subrepanda; juniora pubescentia; adulta nervis solummodo subpubescentia; odoris herbacei, subnarcotici; saporis subadstringentis, acriusculi, narcotici.

Celeriter sicca et caute serva in vasis bene clausis.

Infusum admixta Tinctura Gallarum valde perturbetur.

Folia fusca, corrupta sunt removenda.

Pulvis statim ex Herba recenter siccata paretur.

## \* Herba Capillorum Veneris.

**Frauenhaarkraut.**

*Adiantum Capillus Veneris* Linn., planta Europae meridionalis, Cl. XXIV. Ord. Filices syst. Linn. — Fam. Polypodiaceae syst. natur.

Frons decomposita, stipite atro-fusco nitido, ramulis filiformibus, foliis laete viridibus, petiolatis, obovato-cuneiformibus, tenuibus, glabris, nervosis, basi angustioribus; superne folia lobis crenatis inciso-lobata sunt. Aqua bulliente infusa odore haud ingrato gaudent, saporis sunt dulciusculi, amariusculi, subacris.

### \* Herba Cardui benedicti.

#### Cardobenediktenkraut.

Cnicus benedictus Gaertn. et Decand. (Centaurea benedicta Linn.), planta annua Syriae et Graeciae, apud nos culta, Cl. XIX. Ord. III. syst. Linn. — Fam. Compositae-Cynareae syst. natur.

Folia sunt sessilia, 2 ad 3 pollices longa,  $\frac{1}{2}$  ad 1 pollicem lata, obscure-viridia, utrinque pubescentia, sinuato-pinnatifida, denticulata, spinulosa, saporis peramari, salsi.

### \* Herba Centaurii minoris.

#### Tausendgüldenkraut.

Erythraea Centaurium Richard. et Pers. (Chironia Centaurium Willd.) planta biennis Germaniae, in pratis apricis, montanis et sylvosis frequens, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Gentianae syst. natur.

Herba florens circiter pedem alta; caulis est herbaceus, simplex, erectus, angulosus, superne bidivisus, in cymas fasciculatas terminans; corolla infundibuliformis est purpurea, antheris luteis, demum spiraliter tortis. Folia sunt opposita, ovato-lanceolata, obtusa, integerrima, trinervia, sessilia, glabra, laete-viridia, odoris vix ullius, saporis valde amari, acriusculi.

Herba Silenes Armeriae est insipida et decem staminibus facile distinguitur: Herba Erythraeae pulchellae, in locis humidis crescens, jam in basi caulis ramosissima est.



## Herba Chelidonii majoris.

**Schöllkraut.**

*Chelidonium majus* Linn., planta perennis Germaniae, Cl. XIII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Papaveraceae syst. natur.

Folia sunt pinnata, foliolis flavo-viridibus, petiolatis, ovatis, crenato-incisis, tenuibus, subtus praesertim nervis pubescentibus, floribus umbellatis, luteis. Tota planta succo flavo-croceo acri, amariusculo turget, et subflorescens colligatur.

Herba recens inservit ad parandum extractum.

## \* Herba Chenopodii ambrosioidis.

**Mexicanisches Traubenkraut.**

*Herba Botryos Mexicanae.*

*Chenopodium ambrosioides* Linn., planta in Mexico indigena, apud nos in hortis culta, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Chenopodiaceae syst. natur.

Folia sunt alterna, lanceolata, basi attenuata, acutiuscula, serrato-dentata, subsessilia, glabra, subtus glanduloso-punctata, laete viridia. Odore peculiari, penetrante et sapore aromatico, amaro gaudent.

Serva in vasis optime clausis.

## \* Herba Conii maculati.

**Schierlingskraut.**

*Herba Cicutae.*

*Conium maculatum* Linn., planta biennis Germaniae, in viis, rudertis et sepibus frequens, sed non

ubique vulgaris, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Caulis est erectus, glaber, nitidus, teres, fistulosus, substriatus, maculis fuscis, rubris, atro-purpureis obsitus; umbella plana; involucrium universale, planum, polyphyllum, reflexum; involucella 3- ad 4-phylla, flores albi; folia sunt supradecomposita, ubique glabra, supra obscure-viridia et subnitida, subtus pallide-viridia, laciniiis ultimis ovalibus, mucronulatis; folia inferiora sunt magna, longe petiolata, folia superiora caulina autem sessilia; fructus ovati, lineam unam lati, lineam unam et dimidiam longi, seminibus duobus convexis; radix est fusiformis et albida.

Tota planta est odoris peculiaris, murini et Cantharidibus subsimilis, saporis dulciusculi, subacris, nauseosi.

Folia sunt altero anno colligenda, et perfecte exsiccanda.

Loco Conii maculati saepius aliae plantae umbelliferae substituuntur, e. g. Chaerophyllum sylvestre, C. temulum, C. bulbosum, Aethusa Cynapium, Caucalis Anthriscus, Myrrhis odorata, Cicuta virosa, Phellandrium aquaticum et cet. Caulis tubulosus, substriatus, glaberrimus, plerumque maculis atro-purpureis obsitus; foliola glaberrima, longe dentata, petioli teretes, substriati, glabri et odor murinus significant Conium verum.

Pulvis statim ex herba recenter siccata praeparandus, et in vitris servandus est.

Serva cautissime nec diutius quam annum in vasis bene clausis.

Herba siccata sit viridis, non pallida, nigrescens vel mucosa, et Liquore Kali caustici humefacta exhalet odorem peculiarem murinum.



## Herba Cochleariae.

### Löffelkraut.

*Cochlearia officinalis* Linn., planta annua ad littora marina Europae borealis spontanea, biennis, apud nos in hortis culta, Cl. XV. Ord. Siliculosae syst. Linn. — Fam. Cruciferae syst. natur.

Herba florens recens succulenta. Folia radicalia sunt crassiuscula, 1 ad  $1\frac{1}{2}$  pollicem lata, petiolata, cordata, obtusa, subrotunda, denticulata; folia caulina sunt sessilia, oblonga, ovata, sinuata, dentata; omnia sunt splendide viridia et glabra. Herba recens est odoris acris et saporis acriusculi, amari, salini; herba siccata est inodora et insipida.

Solummodo herba recens destillationi Spiritus Cochleariae inserviat.

## \* Herba Digitalis purpureae.

### Fingerhutblätter.

*Digitalis purpurea* Linn., planta biennis sylvestris montana Germaniae et aliarum terrarum, Cl. XIV. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Scrophularineae syst. natur.

Folia sunt oblonga aut oblongo-lanceolata, acute crenata, in petiolum brevem decurrentia, reticulato-venosa, rugosa, supra intense viridia, subtus pallidiora, tactu mollia, praesertim subtus tomentosa, trita odoris ingrati, saporis nauseosi, subacris et amari.

Herba in hortis culta nunquam usui medicinali inserviat.

Sicca in umbra et serva caute nec ultra annum. Pulvis statim ex herba recenter siccata parandus et in vitro bene clauso loco obscuro servandus est.

## \* Herba Farfarae.

### Huflattigkraut.

*Tussilago Farfara* Linn., planta perennis,

frequens in Germania, Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn. —  
Fam. Compositae (Tussilagineae) syst. natur.

Folia post flores provenientia sunt longe petiolata, reniformi-cordata, rotundata, angulata, sinuato-denticulata, lata, plana, superius glabra et laete viridia, venis rubris percursa, subtus albo-tomentosa, odoris vix ullius, saporis amari, subadstringentis.

Herba non confundatur cum foliis Tussilaginis Petasitis majoribus impari denticulatis, subtus tenuiter pilosis et viridescensibus.

## Herba Fumariae.

**Erdrauchkraut.**

Fumaria officinalis Decand. et Fumaria Vaillantii Lois., plantae annuae in agris et cultis Germaniae, Cl. XVII. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Papaveraceae (Fumariaceae) syst. natur.

Herba florida; folia sunt in caule flaccido succulento alterna, petiolata, glauco-viridia, duplicato-pinnata, pinnis pinnulisque alternis, petiolatis, laciniis linearibus glabris. Odoris sunt nullius, saporis amari, foliorum siccatorum magis salsi.

## Herba Galeopsidis.

**Gelber Hohlzahn, Liebersche Kräuter,  
Blankenheimer Thee.**

Galeopsis ochroleuca Lam. (grandiflora), planta annua Germaniae, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Herba cum floribus. Folia sunt petiolata, opposita, serrata, caulina, ovata vel oblonga; folia ramorum ovato-lanceolata vel lanceolata, utrinque subsericeo-pilosa, flavescens-viridia, subtus pallidiora, tactu mollia. Odoris



sunt debilis, balsamici, saporis mucilaginosi, salso-amarisculi. Flores sunt verticellati, calyces campanulati, viscoso-pilosi, aristato-quinquedentati, corollae ochroleucae, extus villosae, calycem multo superantes, in labio inferiori macula magna, flava praeditae.

Cave, ne confundas cum herba Galeopsidis versicoloris et Galeopsidis Ladani.

## Herba Gratiolae.

**Gottesgnadenkraut.**

*Gratiola officinalis* Linn., planta perennis Germaniae, Cl. II. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Scrophularineae syst. natur.

Herba florens, caule tetragono stricto, glabro, geniculato, pedem alto. Folia sunt opposita, pollicaria, sessilia, lanceolata, apicem versus serrata, basi integerrima, glabra, subtrinervia, laete viridia, odoris fere nullius, saporis valde amari, nauseosi, acris.

A *Scutellaria galericulata* et *Veronica scutellata* sapore et signis botanicis satis diversa est.

## \* Herba Hederae terrestris.

**Gundermannkraut. Gundelrebe.**

*Glechoma hederacea* Linn., planta perennis, in Germania frequens, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Folia sunt opposita, petiolata, cordato-reniformia, crenata, utrinque subhirsuta, rugulosa, odoris debilioris, herbae recentis tritae balsamici, intensioris, saporis amari, subadstringentis, parum aromatici.

\* **Herba Hyosecyami.****Bilsenkrautblätter.**

*Hyoscyamus niger* Linn., planta biennis in Germania frequens, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Solaneae syst. natur.

Folia in caule erecto, ramoso, villosa, viscido sunt alterna, sessilia, inferiora tantum subpetiolata, amplexicaulia, oblongo-ovata, sinuata, villosa, pallide subviridia, infra nitidiora, odoris nauseosi, narcotici, saporis paris fatui, mucilaginosi.

Collige a plantis biennibus solo sterili crescentibus, et serva herbam perfecte siccata caute, nec ultra unum annum, in vasis optime clausis.

Herbam in hortis cultam, invalidam nunquam in usum trahas. Pulvis ex herba recenter siccata paratus in vitris loco obscuro servetur.

**Herba Hyssopi.****Ysopkraut.**

*Hyssopus officinalis* Linn., fruticulus Europae australis, etiam in hortis colitur, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Folia sunt subsessilia, opposita, lineari-lanceolata, obtusa, angusta, integerrima, lacte viridia, sursum glabra, subtus punctata, scabriuscula, odoris subaromatici, saporis similis amaricantis.

**Herba Lactucae virosae.****Gifflattigkraut.**

*Lactuca virosa* Linn., planta biennis Germaniae, Cl. XIX. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Compositae (Cichoraceae) syst. natur.



Herba lactescens, recens, in caule erecto, tereti, foliis horizontalibus, alternis, sessilibus, plerumque integris, ovato-oblongis, rarius sinu uno alterove excisis, margine et carina aculeatis, sinuato-dentatis, utraque parte glaucis, glabris. Recentia sunt odoris narcotico-ingrati, saporis acris, amari.

Colligatur cum ramulis florescentibus; licet, plantam in hortis cultam adhibere.

Ne confundatur cum herba Lactucæ Scariolæ, foliis verticalibus, plerumque sinuato-pinnatifidis, rarius integris, dignoscenda.

Herba recens solummodo ad extracti parationem inseruiat.

## Herba Linariæ.

### Leinkraut.

*Linaria vulgaris* Mill. (*Antirrhinum Linaria* Linn.), planta perennis Germaniæ, in muris ruderatisque frequens, Cl. XIV. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Scrophularineæ syst. natur.

Herba florens, foetidiuscula; caulis est circiter pedem altus, folia sparsa, conferta, lanceolato-linearæ, trinervia, sessilia, sursum laete, subtus pallidius viridia, glabra, integerrima.

Solummodo recens ad parandum Unguentum Linariæ inseruit.

## Herba Lobeliæ.

### Lobeliënkraut. Indischer Taback.

*Lobelia inflata* Linn., planta perennis, in America boreali vulgatissima, apud nos in hortis culta, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Lobeliaceæ syst. natur.

Herba florida in caule erecto, pedali et ultra, inferne simplici, hirsuto, superne glabro, ramuloso. Folia sunt

alterna, sessilia, oblongo-lanceolata, rugosa, acuta, serrata; flores parvi, racemosi, calyce inflato, corollis sublabiatis, coeruleis; capsula rotunda, inflata; saporis primum debilis; dein acris, pungentis.

### \* Herba Majoranae.

**Majorankraut.**

*Origanum Majorana* Linn., planta Europae meridionalis, ubique fere culta, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Herba cum summitatibus florentibus. Folia in caule erecto, tetragono sunt opposita, petiolata, parva, elliptica, integerrima, utrinque tomentosa, e viridi-albicantia; flores in spicas terminales ternas digesti, albi, sessiles, bracteis imbricatis, sulcatis praediti sunt.

Tota planta odore et sapore proprio, aromatico gaudet.

### \* Herba Malvae.

**Malvenkraut. Käsepappelkraut.**

*Herba Malvae vulgaris.*

De planta materna vide: Flores *Malvae vulgaris*.

Folia sunt longius petiolata, cordato-orbiculata, subquinqveloba, denticulata, utrinque minutim pubescentia, sordide et obscure viridia, subtus nervosa, inodora, saporis subviscidi mucilaginosi.

### Herba Marubii albi.

**Weisser Andorn.**

*Marrubium vulgare* Linn., planta perennis in Germania frequens, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.



Herba florens in caule inferius dense tomentoso, quadrangulari, erecto, ramoso. Folia sunt opposita, inferiora petiolata, superiora sessilia, pollicaria, ovalia, subrotunda, crenata, magis minusve tomentosa, e cinereo-viridia.

Flores spurie verticillati, albi, calycibus decemdentatis, in axillis foliorum sedentes.

Planta gaudet odore peculiari, balsamico, sapore simili, amaro.

Herba *Ballotae nigrae*, quae interdum substituitur, jam aspectu nigro, deflorato, praeterea foliis subasperis, ovato-cordatis, et odore ingrato, foetido satis differt. Folia *Nepetae Catariae* sunt dentato-serrata et odoris *Menthac* subsimilis, sed magis ingrati.

### \* Herba Meliloti.

*Steinklee.*

*Melilotus officinalis* Willd., planta biennis, in Germania frequens, Cl. XVII. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. Leguminosae-Papilionaceae syst. natur.

Herba florens in caule erecto, subanguloso, striato, glabro, ramoso. Folia sunt alterna, ternata, glabra, petiolata, foliola oblonga, argute serrata, obtusa, stipulis lanceolata-subulatis; flores racemosi, corollis papilionaceis flavis, carina et alis longitudine vexilli.

Planta est, praesertim sicca, odoris peculiaris, mellei, *Asperulae odoratae* subsimilis, saporis mucilaginosi, amariusculi, subacris.

### \* Herba Melissaec.

*Melissenblätter.*

*Melissa officinalis* Linn., planta perennis Germaniae meridionalis, etiam apud nos culta, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Folia sunt  $\frac{7}{2}$  subcordato-ovata, petiolata, crenato-serrata, magis minusve hirta, rugosa, venosa, supra viridia, subtus glauca, odoris et saporis aromatici, grati.

A *Balleis nigra* odore, a *Nepeta Cataria* foliis subtus pilosis nec cano-tomentosis satis distincta.

Ne ultra unum annum serva.

### \* Herba *Menthae crispae*.

#### Krausemünzblätter.

*Mentha crispa* Linn., planta perennis Europae australis, apud nos in hortis, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Folia breviter petiolata, subamplexicaulia, cordata et ovata, bullato-rugosa, dentata, dentibus paullum productis, supra intense viridia, subtus pallidiora, saporis aromatici, odoris peculiaris.

Si simpliciter „Mentha“ a medico praescribitur, semper *Mentha crispa* dispensetur.

*Mentha dentata* foliis ovatis, undulatis, acute serratis et odore differt.

### \* Herba *Menthae piperitae*.

#### Pfeffermünzblätter.

*Mentha piperita* Linn., planta perennis Angliae, apud nos in hortis, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Folia sunt longius petiolata, opposita, ovalia et oblonga, acuta, argute serrata, supra glabra, intense viridia, subtus pallidiora, hirsuta, odoris subcamphorati, fragrantis, saporis peculiaris aromatici, dein refrigerantis.

*Mentha viridis* foliis sessilibus, et aliae *Menthae* species, e. g. *Mentha gentilis*, *M. aquatica* etc. jam odore diversae sunt.



### \* Herba Millefolii.

**Schaafigarben-, Schaafrippenkraut.**

*Achillea Millefolium* Linn., planta perennis, frequentissima in Germania. Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Compositae-Anthemideae syst. natur.

Folia petiolata, alterna, bipinnatifida, laciniis brevissimis, filiformibus, setula terminatis, hirta, odoris debilis, aromatici, saporis amariusculi, subsalsi.

### Herba Nicotianae.

**Tabackblätter.**

*Nicotiana Tabacum* Linn., planta annua Americana, apud nos culta. Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Solaneae syst. natur.

Folia siccata, fusca, oblongo-lanceolata, basi attenuata, elongata, integerrima, odoris subnauseosi, saporis acris. Adhibeantur folia quae vulgo Virginiana vocantur.

Folia non plane siccata, atra removeantur.

### \* Herba Origani.

**Gemeiner Dosten. Wohlgemuth.**

*Origanum vulgare* Linn., planta perennis Germaniae, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Herba florens in caule erecto, obsolete-tetragono, purpurascente, pubescente. Folia sunt opposita, petiolata, ovato-obtusa, subintegerrima, utrinque pubescenti-scabriuscula, flores pallide purpurei, rarius albidii, spicis densis bracteatis, in corymbum terminalem dispositi.

Odor est gratus, fragrans, sapor aromaticus, acriusculus.

## \* Herba Polygalae amarae.

### Bittere Kreuzblumen.

*Polygala amara* Linn., planta perennis montana Germaniae et Sueciae Cl. XVII. Ord. III. syst. Linn. — Fam. Polygaleae syst. natur.

Planta tota florens cum radice tenui, luteola, filiformi, pollicem longa, caulibus pluribus, erectis, minoribus, superne ramosis, foliis radicalibus et caulinis infimis caespitosis, spatulatis, petiolatis, caulinis superioribus lanceolatis vel oblongis, minoribus, sessilibus, floribus exiguis, racemosis, coeruleis, odoris nullius, saporis valde amari.

*Polygala vulgaris*, quae saepius loco amarae dispensatur, est saporis vix amari, et foliis lineari-lanceolatis et radicalibus obovatis satis differt.

Simillima *P. calcarea* defectu saporis amari dignoscitur.

## Herba Pulsatillae.

### Küchenschelle.

*Anemone pratensis* Linn., planta perennis, in locis Germaniae borealis sabulosis frequens, Cl. XIII. Ord. VI. syst. Linn. — Fam. Ranunculaceae syst. natur.

Planta tota florida, foliis bipinnatifidis, villosis, in caule erecto, unifloro cum laciniis linearibus, partitis, acuminatis, pilosis, involucre a flore remoto, multipartito, foliaceo, floribus nutantibus, campanulatis, petalis extrinsecus sericeis, atro-violaceis, apice reflexis, foliolis calycinis adpressis.

Deficiente *Anemone pratensi* adhibere licet *Anemonem Pulsatillam*, quae recens trita auram acerrimam exhalat, et saporis mordacis, corrodentis est.



Anemone Pulsatilla floribus duplo majoribus, vix nutantibus, petalis apice vix reflexis, latioribus et acutioribus distinguitur.

### \* Herba Rorismarini.

Rosmarinblätter.

*Herba Anthos.*

Rosmarinus officinalis Linn., frutex Europae meridionalis, apud nos passim in hortis cultus, Cl. II. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Folia sunt in caule ramoso opposita, rigida, subpetiolata, lineari-lanceolata, obtusa, margine integerrimo revoluta, supra profunde viridia, rugosa, in medio sulcata, subtus albo-tomentosa, nervo majori percursa, odoris aromatici, gravis, saporis in recentibus acris, terebinthinacei, in siccis multo debilioris.

### \* Herba Rutae.

Gartenraute.

*Herba Rutae hortensis.*

Ruta graveolens Linn., planta perennis Europae australis, apud nos culta, Cl. X. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Rutaceae syst. natur.

Folia petiolata, supradecomposita, crassiuscula, glauca, laciniis ultimis cuneiformibus, subtus glanduloso-punctata, recentia graveolentia, saporis subamari, aromatici.

Siccata sunt odoris et saporis debilioris.

### \* Herba Sabinae.

Sadebaum. Sevenbaum.

Juniperus Sabina Linn., frutex Europae australis, etiam cultus Cl. XXII. Ord. XIII. syst. Linn. — Fam. Coniferae (Cupressineae) syst. natur.

Rami ramulis densis coarctatis non patentibus, foliis oppositis, quadrifarium imbricatis, linearibus, acutis, subulatis, adpressis, pungentibus, convexis, crassiusculis, obscure viridibus, glabris, graveolentibus, saporis acris.

Serva caute et optime.

Herba sit viridis, odorata, nec confundatur cum herba Juniper Virginianae, in arbustis frequenter cultae, cujus ramuli, foliis magis acutis, ternis tecti, odorem debiliorem spirant.

### \* Herba Salviae.

Salbeyblätter.

*Salvia officinalis* Linn., fruticulus Europae meridionalis, apud nos in hortis colitur, Cl. II. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Folia in caule quadrangulari, villosa, ramoso sunt opposita, petiolata, oblonga, obtusa, crenulata, rugosa, villosa, crassiuscula, glauco-viridia, odoris fragrantis, subaromatici, saporis subamari, adstringentis.

### \* Herba Serpylli.

Quendel.

*Thymus Serpyllum* Linn., fruticulus in Germania sicuti in tota Europa frequens, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Herba cum summitatibus florentibus. Folia in caule repente sunt subsessilia, integerrima, opposita, ovata, obtusa, supra viridiuscula, subtus pallidiora, basin versus parce ciliata, floribus terminalibus, purpurascens, capitatis, verticillatis. Planta est odoris fragrantis, saporis amaricantis, aromatici.

Etiam varietas *Thymus exserens*, foliis lanceolato-linearibus colligi potest.



**Herba Stramonii.****Stechapfelkraut.**

*Datura Stramonium* Linn., planta annua Americae vel Indiae orientalis, nunc in ruderatis Germaniae frequens. Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Solaneae syst. natur.

Folia sunt magna, alterna, petiolata, ovata, dentato-sinuata, glabra, venosa, supra obscure viridia, subtus pallidiora, venosa, odoris narcotici, saporis paris.

Serva caute, bene nec ultra unum annum.

**Herba Taraxaci.****Löwenzahnkraut.**

*Leontodon Taraxacum* Linn. (*Taraxacum officinale* Wigg.) planta perennis frequentissima Germaniae, Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Compositae (Cichoraceae) syst. natur.

Folia sunt runcinata, fere glabra, denticulata, floribus magnis luteis, calyce duplici. Sunt odoris fere nullius, saporis e dulci amaricantis, et succo lacteo scatentia, subflorescentia, novella colligenda.

**\* Herba Thymi.****Thymian.**

*Thymus vulgaris* Linn., fruticulus Europae australis, apud nos in hortis invenitur, Cl. XIV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae syst. natur.

Herba florens; folia in caule erecto, ramoso, tenui sunt sempervirentia, subcoriacea, opposita, ovata, oblonga, subpetiolata, margine revoluta, punctata, supra subhirta,

subtus tomentoso-candicantia, floribus verticillatis, spicatis, albis aut ex albido purpureis, odoris et saporis aromatici, haud ingrati.

### \* Herba Trifolii fibrini.

**Bitterklee.**

*Folia Trifolii aquatici.*

*Menyanthes trifoliata* Linn., planta perennis, frequens, palustris Germaniae, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. *Gentianeae* syst. natur.

In caule radicante prostrato folia sunt radicalia, ternata, longe petiolata, petiolis vaginantibus, foliolis subsessilibus, laete-viridibus, obovatis, obtusis, glabris, leviter crenulatis, inodoris, saporis peramari.

### Herba Verbasci.

**Wollkraut.**

De planta materna vide: Flores *Verbasci*.

Folia sunt alterna, decurrentia, longa, larga, ovato-lanceolata, subcrenata, rugosa, mollia, utrinque tomento albido densissimo vestita, inferioribus petiolatis; odoris debilis, saporis mucilaginosi.

### \* Herba Veronicae.

**Ehrenpreis.**

*Veronica officinalis* Linn., planta perennis indigena, Cl. II. Ord. I syst. Linn. — Fam. *Scrophularineae* syst. natur.



Herba florida; folia in caule procumbente, pubescente sunt laete viridia, opposita, subsessilia, obovato-rotunda, obtusa, basi cuneata, serrata, pubescentia, odoris debilis, saporis subamari, subadstringentis; flores spicati, pedunculati, corolla vel coerulea, vel rutila, vel albida, venis obscurioribus percursa.

**\* Herbae Violae tricoloris.**

**Stiefmütterchen. Freisamkraut.**

*Herba Jaceae.*

*Viola tricolor* Linn., planta annua Germaniae, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Violaceae syst. natur.

Herba florida; caules plures procumbentes, ramosi, angulati, folia alterna, ovato-oblonga, obtusa, crenata, in petiolum decurrentia, stipulis lyrato-pinnatifidis; flores tricolores e violaceo aut coeruleo, albo et flavo variegati. Herba fere inodora est, saporis amariusclo-subacris.

Deficiente *Viola tricolore* substituere licet herbam *Violae arvensis* corolla bicolore.

**\* Hirudo.**

**Blutegel.**

Sanguisugae species, Cl. Annulata s. Annelides, Fam. Gymnodermati, animalcula, paludes Europae habitantia.

*Sanguisuga medicinalis* Savigny (Deutscher Blutegel), praecipue Europae septentrionalis incola, dorso est olivacea, sex lineis longitudinalibus ferrugineis notata, quarum quatuor tantum facile distinguendae sunt; latera punctis nigris distincta; venter colore cinereo, maculis nigris notatus, margine olivaceo.

*Sanguisuga officinalis* Savigny (Ungarischer Blutegel). Dorsi pars media olivacea est, margine ferrugineo, punctis parvis nigris variegata; ventre lucide-olivaceo, immaculato; vitta utrinque laterali nigra.

Sint agiles, minime sanguine repletae. Illicitum est, hirudinibus jam ad sugendum adhibitis denuo uti.

Hirudines servandae sunt in vitris amplioribus, Aqua pura, salibus calcareis non nimis inquinata et saepius renovanda, semiplenis, linteo obligatis, vel in vasis murrhinis, vel ligneis, terra limosa humida repletis.

Hirudines ne confundantur cum Haemopi sanguisorba Savigny (*Hirudine sanguisuga* Car., *Rosegel*, *Pseudobdella* et *Hippobdella nigra* Blainville), in Germania frequentiore, in dorso irregulariter punctata, lineis sex fusco-luteis carente.

## \* Hydrargyrum.

### Quecksilber.

*Mercurius vivus. Argentum vivum.*

Metallum praecipue nativum, et cum Sulphure nuptum (*Zinnober, Quecksilberlebererz*) in Hispania, America etc. occurrit, et destillatione et reductione cum Ferro aut Calce viva obtinetur. Temperatura ordinaria est liquidum, splendidissimum, coloris stannei, mobilissimum, tactu in globulos dissiliens, supra chartam facile currens, digitis non adhaerens, inodorum, insipidum; diu agitatum aliis corporibus admixtis e colore stanneo in gryseo-nigricantem transit (extinctio *Hydrargyri*); longe exaestuatatum in oxydum rubrum vertitur. Ponderis est specifici = 13,5 ad 13,6. Pelliculam non praebeat, et currens nihil sordidi relinquat. Caloris ope (284° R.) penitus avolet, et in Acido nitrico sit facile et sine residuo solubile.



\* **Hydrargyrum bichloratum  
corrosivum.**

**Aetzendes Doppel-Chlorquecksilber. Aetzendes salzsaures Quecksilberoxyd. Aetzender Quecksilber-Sublimat.**

*Hydrargyrum muriaticum corrosivum. Mercurius sublimatus corrosivus.*

Praeparatum officinarum chemicarum. Serva, ut venenosissimum omnium praeparatorum Hydrargyri, cautissime in vitris optime clausis.

Est album, textura fibrosa, crystallinum, subdiaphanum, aëri et radiis solis expositum immutabile, excandefactum primum fusibile, tum volatile, in Aqua et Aethere perfecte solubile, reactionis acidulae, odoris nullius et saporis acerrimi, styptici, metallici, corrodentis.

Sit in Spiritu Vini rectificatissimo sine ullo residuo albo solubile, et minime coloris rubicundi.

\* **Hydrargyrum bijodatum rubrum.**

**Rothes doppelt Jodquecksilber. Rothes jodwasserstoffsäures Quecksilberoxyd.**

*Mercurius hydrojodinicus ruber.*

*Rp.* Hydrargyri bichlorati corrosivi pulverati Unciam unam.

Solve in:

Aquae destillatae bullientis Unciis duodeviginti.

Solutioni, si opus est, filtratae admisce perpetuo agitans bacillo vitreo solutionem e:

Kalii jodati Drachmis decem, et

Aquae destillatae Unciis quatuor

paratam, et, si necessarium est, filtratam.

Fluido, refrigerationis causa per aliquod tempus in loco frigido seposito, ablue sedimentum exortum et in filtro collectum sollerter Aqua destillata, cavens, ne

nova quantitas Aquae addatur, priusquam portiuncula prior perfecte defluxerit. Sedimentum ablutum et loco tepido siccatum serva caute in vitris, luci non perviis.

Est pulvis lacte scarlatinus, inodorus, insipidus, in aëri persistens, valde depingens, in Aqua fere insolubilis, sed solubilis in solutione Kali iodati et in Spiritu Vini rectificatissimo. In cochleari e Platina confecto facile fluat, colorem luteum assumens, tum perfecte volatilis sit.

### \* Hydrargyrum chloratum mite.

**Mildes Chlorquecksilber. Mildes salzsaures Quecksilberoxydul. Versüßtes Quecksilber. Calomel.**

*Hydrargyrum muriaticum mite. Calomel.*

*Mercurius dulcis.*

*Rp.* Hydrargyri bichlorati corrosivi Uncias quatuor,  
Hydrargyri depurati Uncias tres.

Hydrargyro bichlorato corrosivo in mortario porcellaneo pulverisato, adstillatis nonnullis guttis Spiritus Vini rectificatissimi, admisce Hydrargyrum depuratum et tere, addendo Spiritus Vini rectificatissimi quantum requiritur, ut dissipatio nociva impediatur, tam diu, donec nihil metallici supersit, et massa homogenea griseo-albida exoriatur, quam, calore tepido exsiccata, calefac in patina porcellanea per aliquod tempus, tum immitte in cucurbitam satis capacem vel in vitrum parvum, usque ad partem tertiam implendum, epistomiis e creta confectis claudendum, et institue sublimationem in balneo arenae, igne primum moderato, tum fortiori. Sublimatione finita frange vitra, exime sublimatum purius, contere crasso modo et sublima denuo.

Hoc sublimatum secundum, ab albicante et metallico sollerter depuratum, et a frustulis vitreis cautissime separatum, redige supra lapidem, affusa Aqua destillata, in pulverem subtilissimum. Denique praeparatum hoc



modo obtentum, ablue cum Aqua destillata calida sedulo tam diu, donec Aqua defiltrata, Liquore Ammoniaci hydrosulphurati explorata, reactionem nec minimam praebeat. Sicca in loco obscuro et serva in vitris nigris, bene clausis.

Hydrargyrum chloratum mite format massas nitentes, fibroso-crystallinas, intus crystallulis acicularibus obtectas, corneas, ponderosas, densas, albidas, fracturae subflavescentis. Pulvis grossus ejus est flavescens, quo subtilior eo albidior. Radiis solis expositum colorem obscuriorem assumit, excandefactum non fusibile sed volatile est. Est inodorum, fere insipidum, in Aqua vix, in Spiritu Vini rectificatissimo frigido, Aethere et in omnibus fere Acidis perfecte insolubile, Acidis fortioribus quidem solvitur, sed tantum eo modo, ut Hydrargyrum bichloratum corrosivum exoriatur.

Ne pulvis sit griseus, et eo modo laevigatus, ut in cutem teri possit. In cochleari e Platina confecto excandefactus, sit perfecte volatilis sine eructatione vaporum rutilorum, Spiritus Vini rectificatissimus frigidus, per aliquod tempus praeparato conquassatus et tum defiltratus, admixta Aqua hydrosulphurata ne nigrescat.

### \* Hydrargyrum depuratum.

**Gereinigtes Quecksilber. Reines lebendiges Quecksilber.**

*Mercurius vivus purus.*

Hydrargyrum venale, destillatione obtentum, plerumque pro usu pharmaceutico satis purum est. Si vero reagentibus subtus dictis exploratum, puritatem non praebeat, methodo sequenti purificandum est.

Immitte Hydrargyrum depurandum in patinam porcellaneam amplissimam, ut superficiem quam maximam praebeat, et infunde circiter par volumen Acidi sulphurici Anglici. Stet, saepius agitando bacillo vitreo, in temperatura ordinaria circiter per octo usque duodecim dies. Si Acidum, hoc temporis spatio praeterlapsa, nec turbidum est, nec odor Acidi sulphurosi animadverti potest, operatio finita est.

Si vero Acidum turbidum fit, et odor Acidi sulphurosi percipi potest, operatio repetenda est. Acido a metallo defuso ablue Hydrargyrum pluries et sedulo cum Aqua frigida, tum calefac, ut ultimae portiunculae Aquae calefaciendo removeantur, cola Hydrargyrum pre-mendo per pellem caprae, et serva in vitris bene clausis.

Hydrargyrum depuratum in Acido nitrico puro sine ullo residuo solubile sit. Haec solutio nitrica Acido sulphurico diluto non praecipitetur, et Aqua hydrosulphurata praecipitata, si sedimentum nigrum inde exortum, Acido nitrico digestum est, solutio haec nitrica obtenta et Liquore Ammoniaci caustici neutralisata, admixto Liquore Ammoniaci hydrosulphurati, nec colore albo, nec nigro praecipitetur.

Ceterum sit Hydrargyrum depuratum chartae non adhaerens, splendidissimum, movendo caudam nigram sic dictam non relinquens, et aucto calore volatile.

### \* Hydrargyrum et Stibium sulphurata.

Schwefel-Quecksilber und Schwefel-Spiessglanz.  
Spiessglanzmohr.

*Aethiops antimonialis. Hydrargyrum stibiato-sulphuratum. Sulphuretum Hydrargyri et Stibii.*

*Rp.* Stibii sulphurati nigri laevigati,

Hydrargyri sulphurati nigri, singulorum Uncias duas.

Misceantur.

Sit pulvis coloris e griseo nigri, aspectus velutini, inodorus, insipidus; in Aqua et Spiritu Vini insolubilis. Microscopii ope globuli mercuriales non detegantur. Addito Ferri puri limati pari pondere, excandefactus, Hydrargyro regulino sublimato, regulum Stibii et Ferrum sulphuratum relinquat.

### \* Hydrargyrum jodatum flavum.

Gelbes Jodquecksilber. Gelbes jodwasserstoffsaures Quecksilberoxydul.

*Mercurius hydrojodicus flavus.*

*Rp.* Hydrargyri depurati Unciam dimidiam.

Admisce:



Jodi Drachmas duas cum dimidia,  
et tere diligenter, interdum nonnullis guttis Spiritus  
Vini rectificatissimi humectans, tam diu, donec metallum  
evanuerit et miscela sit coloris flavo-virescentis. Non  
inutile est, mortarium, inter operationem interdum se-  
positum, probe tegere.

Praeparatum in loco tepido siccatum serva caute  
in vitris nigris.

Est pulvis sordide obscure flavo-virescens, inodorus, insipidus,  
in Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo insolubilis; aëri expositus  
decomponitur, colorem fusco-viridem, demum nigrum, assumens. Ex-  
aestuatus avolat et destruitur, producta decompositionis Hydrargyrum  
et Hydrargyrum bijodatam rubrum praebens.

Spiritus Vini rectificatissimus, praeparato digestus et bene conquis-  
satus, tum defiltratus admixta Aqua hydrosulphurata colorem non assumat.

### \* Hydrargyrum oxydatum rubrum.

**Roth's niedergeschlagenes Quecksilber. Roth's  
Quecksilberoxyd.**

*Mercurius calcinatus ruber. Mercurius praecipitatus  
ruber.*

Praeparatum officinarum chemicarum, in vitris obscuris  
et caute ut venenum servandum.

Est massa crystallina, granulosa, nitens, ponderosa, squamacea,  
coloris latericii, odoris nullius, saporis metallici, acris nauseosi. In  
Aqua fere, in Spiritu Vini rectificatissimo perfecte insolubile est.

In crucibulo porcellaneo excandefactum primo colorem obscuriorem  
assumat, tum perfecte volatile sit, sine eructatione vaporum rutilorum.  
In Acido hydrochlorato perfecte et facile solvatur. Pro usu interno  
et externo ut pulvis subtilissimus coloris lacte aurantiaci adhibendum est.

### Hydrargyrum oxydulatum nigrum Hahnemanni.

**Hahnemann's schwarzes Quecksilberoxydul.**

**Hahnemann's lösliches Quecksilber.**

*Mercurius solubilis Hahnemanni.*

*Rp. Liqueoris Hydrargyri nitrici oxydulati recens parati  
Uncias novem et Drachmas duas,*

Aquae destillatae Libras duas.

Immitte in cylindrum vitreum et misce, tum instilla successive sed celeriter, agitando bacillo vitreo, miscelam e

Liquoris Ammoniaci caustici Uncia dimidia, et

Aquae destillatae Unciis quatuor,

paratam. Sedimentum inde ortum immitte statim in filtrum, ablue in eo cum Unciis quinque Aquae destillatae frigidae, exprime leniter inter strata plura chartae bibulae albae, et exsicca loco obscuro, calore non adhibito, sub campana vitrea ope Calcii chlorati. Praeparatum siccum et subtilissime pulverisatum conserva caute in vitris bene obturatis, nigris.

Est nigrum, splendoris sericei, aëri expositum non mutabile, in Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo non solubile, odoris nullius et saporis mitioris, metallici.

Sit perfecte volatile, nec sub microscopio globulos metallicos praebet, in Acido acetico fere perfecte solubile. In Acido nitrico primum pro parte, dein, calore per longius tempus adhibito, perfecte solvatur. Liquore Kali caustici admixto nonnullos vapores ammoniacales, praesertim leni calore eructet.

### \* Hydrargyrum praecipitatum album.

Weisses niedergeschlagenes Quecksilber. Quecksilberamid-Chlorid. Salzsaures Quecksilber-Ammoniak.

*Hydrargyrum ammoniato-muriaticum. Mercurius praecipitatus albus.*

*Rp.* Hydrargyri bichlorati corrosivi Uncias octo.

Solve in patina porcellanea ope caloris in:

Aquae destillatae Unciis duodecim.

Solutioni refrigeratae et filtratae admisce sensim sensimque, interdum bacillo vitreo agitans:

Liquoris Ammoniaci caustici Uncias duodecim, vel tantum, ut charta exploratoria rubra in fluidum immissa paullulum coeruleseat, cavens, ne Liquor Ammo-



niaci caustici nimis praevaleat. Sedimentum, a quo fluidum defiltratum est, abluere cum Aqua destillata frigida, cui paullulum Liquoris Ammoniaci caustici admixtum est, sedulo, sed non nimis diu, minime autem Aqua destillata fervida. Pulverem obtentam sicca inter chartam bibulam loco tepido et obscuro, serva praeparatum siccum caute in vitris nigris, bene clausis.

Est coloris nivei, friabile, valde depingens, in Aqua frigida et Spiritu Vini rectificatissimo fere insolubile; inodorum, saporis primum debilis, postea autem metallici, nauseosi, caustici.

Sit in cochleari e Platina confectio non fusibile, sed perfecte volatile, et in Acido hydrochlorato plane solvatur. Cum Liquore Kali caustici contritum exhalet odorem Ammoniaci.

### \* Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

**Schwarzes Schwefelquecksilber. Mineralischer Mohr.**

*Aethiops mineralis. Sulphuretum Hydrargyri nigrum.*

*Rp.* Hydrargyri depurati,  
Sulphuris depurati, Partes aequales.

Mixta Aqua destillata humectata modico calore terantur, donec ab Acido nitrico nil Hydrargyri solvatur.

Sit pulvis coloris nigerrimi, aspectus velutini, inodorus, insipidus; microscopii ope globuli Hydrargyri non detegantur; sit in Aqua destillata et Spiritu Vini insolubilis; excandefactus integre volatilis.

### \* Hydrargyrum sulphuratum rubrum.

**Zinnober.**

*Cinnabaris.*

In officinis chemicis sublimatione Hydrargyri sulphurati nigri amorphi, interdum quoque via humida digestionem miscelae Hydrargyri, Sulphuris et solutionis Kali caustici, paratur.

Est massa rarius obscure coccinea vel fusco-rubra, radiatim crystallina, compacta, friabilis, fragilis, plerumque ut venalis pulvis scarlatinus occurrit. Est inodora, insipida, insolubilis in Aqua, Spiritu Vini, Acidis et Alkaliis, sed solubilis in Aqua regia et Kalio sulphurato.

Cinnabaris in catino porcellaneo excandefacta perfecte volatilis sit.

## Indicum.

### Indigo.

*Indigofera tinctoria*, argentea, Anil Linn. et aliae species harum plantarum, in India orientali spontanearum, in India occidentali cultarum, Cl. XVII. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. Leguminosae (*Papilionaceae*) syst. natur.

E plantis supradictis cum Aqua conquassatis et putrescentibus encheiresi propria paratur. Indicum sic dictum de Guatimala optimum est.

Indicum venale exhibet massam obscure-coeruleam, compactam, irregularem, friabilem, unguis frictione nitore cupreo splendens, inodoram, insipidam, in Aqua frigida et fervida, Spiritu Vini, Aethere, vix in Oleo, sed in Acido sulphurico Nordhusiano colore nigro-coeruleo solubilem.

Sit Aqua levius, in fractura substantiae heterogeneae (calcareae) minime detegantur. Indicum combustum ne nimis cineris relinquat,

## Infusa.

### Aufgüsse.

Si infusum quoddam simplex poscitur, substantiae vegetabilis necessariae concisae vel crasse pulveratae Drachma una infundatur, in vasi murrhino vel stanneo, pari operculo tecto, et digerantur calore 30° vel 40° R., una cum Aquae bullientis quantitate sufficiente, per horae dimidia spatium, saepius agitando, ita ut post colaturam Uncia una supersit.

Infusum tenue para cum dupla quantitate Aquae, ita ut Unciae duae supersint.



Infusum concentratum paretur e Drachma una et semis vegetabilis ad colaturam Unciae unius.

Si medicus infusum concentratissimum praescripserit e Drachma una vegetabilis para infusi Unciam dimidiam.

Colantur vero infusa omnia exprimendo per linteum telae densioris.

Parantur ex tempore.

### Infusum Sennae compositum.

**Zusammengesetzter Sennesblätter - Aufguss.  
Wiener Laxiertrank.**

*Infusum laxativum Viennense. Infusum laxativum.*

*Infusum Sennae cum Manna. Aqua laxativa.*

*Loco Potionis purgantis.*

*Rp.* Foliorum Sennae incisorum Unciam dimidiam.

Affunde:

Aquae communis fervidae Uncias quatuor.

Sepone per semihoram, exprime et in colatura Unciarum trium et dimidiae solve:

Tartari natronati Unciam dimidiam,

Mannae Drachmas sex.

Demum cola.

Sit coloris fuscii, sedimenti expers.

Paratur ex tempore.

### \* Jodum.

**Jod. Jodine.**

*Jodium. Jodina.*

Substantia metalloidea, Chloro affinis, quae in officinis chemicis, maxime in Anglia et Francogallia, e variis speciebus Fucoidearum, praecipue Laminariae,

combustione et sublimatione ope Mangani hyperoxydati nativi et Acidi sulphurici paratur. Serva caute in vitris nigris.

Refert lamellas coeruleo-nigras, splendoris metallici, Plumbagini seu Micae Ferri similes, squamosas, molles, friabiles, ponderis specifici = 4,948, odoris Chloro similes, saporis acerbi, irritantis, cutem animale et vegetabilia colore rutilo-flava, fugaci induens.

Est in Aqua aegerrime solubile. Jodum solutum etiam minimam quantitatem Amyli colore coeruleo tingit.

Saepeius Aqua irroratum venditur, praeparatum hoc modo vitiatum vitris adhaeret.

Sit in decem Partibus Spiritus Vini rectificatissimi sine residuo solubile, et igni expositum fumo violaceo plane avolet. Ope conspicii nec crystallos aciculares albidas monstret, nec in tubo vitreo per longius tempus calori Aquae fervidae expositum crystallos (Jodum cyanatum) edat. Si Aqua superfusa statim colore luteo-fusco imbuatur, et reactionem acidam monstrat, Chloro jodato inquinatum est. Jodum Francogallicum, ut purissimum, plerumque ceteris praestat.

### \* Kali aceticum.

**Essigsaures Kali. Weinstein-Blättererde.**

*Terra foliata Tartari.*

*Rp.* Kali carbonici puri Uncias sex.

Immitte in patinam porcellaneam satis amplam et adde, calorem blandum adhibens, sensim:

Aceti concentrati Uncias sedecim,

vel quantum satis ejus ad saturationem. Fluidum, quod sit reactionis subacidulae, evapora in balneo vaporis vel igne flammante blandissimo cautissime adhibito, spatula porcellanea agitans, usque ad siccum. Si portiuncula massae exemptae in Aqua non perfecte solubilis est, praeparatum, denuo in minima copia Aquae destillatae solvendum, filtrandum et iterum evaporandum est, ut jam praescriptum. Sal adhuc calidum immitte statim in vas bene claudendum et serva.



Kali aceticum est pulvis candidus, squamosus, amorphus, splendoris sericei, odoris debilis, aceto subsimilis, minime empyreumatici, saporis calefacientis, subpungentis, salsi et dulciusculi. Aëri expositus humescit, exaestuatus primum fluit, tum mox decomponitur. Acido sulphurico admixto exhalat vapores Acidi acetici, solutione Acidi tartarici e sale soluto Tartarus praecipitatur.

Sit in duabus Partibus Aquae et in quatuor Partibus Spiritus Vini rectificatissimi perfecte solubilis, et solutio nec chartam exploratoriam rubram, nec coeruleam permutet. Solutio Aqua hydrosulphurata admixta non permutetur. Liquor Argenti nitrici in solutione sedimentum albidum post aliquod tempus nigrescens non producat.

Exiguas quantitates Kali sulphurici et Kalii chlorati praeparato forsitan admixtae nullius momenti sunt.

### \* Kali carbonicum crudum.

**Rohes kohlenaures Kali. Rohe Pottasche.**

*Cineres clavellati crudi.*

Praeparatum officinarum propriarum, elixivatione, inspissatione et leni calcinatione cinerum ligni combusti in America, Russia, Borussia, Polonia et Germania paratum

Serva loco sicco in vasis bene clausis.

Kali carbonicum crudum Illyricum ceteris praestat.

Kali carbonicum sic dictum calcinatum est massa solida, amorphae, compacta, cinerea, interdum grisea vel coerulescens, in Aqua facile et maxima ex parte, minime autem in Spiritu Vini solubilis, cum Acidis valde effervescens, calore usque ad rubedinem aucto fusibilis, saporis acris, lixiviosi.

Si bonae indolis est, in aëre facile deliquescit, et continet circiter 70 ad 75 % Kali carbonici puri.

Solutio aquosa praebet reactionem alcalinam et praeparatum eo melius est, quo minus, si Acido nitrico puro neutralisatur, terra silicea seccernitur. Acidum hydrothionicum in neutralisatione dicta non evolvatur, solutio neutralisata et acidulata, admixta Aqua hydrosulphurata non brunnescat, et Ferrum politum, per aliquot horas in solutionem immissum, Cupro non obducatur.

### \* Kali carbonicum depuratum.

**Gereinigtes kohlenaures Kali. Gereinigte Pottasche.**

*Cineres clavellati depurati.*

*Rp.* Cinerum clavellatorum optimorum (Illyricorum)  
contusorum,

Aquae communis, singulorum Partes aequales.

Sepone in olla fictili-silicea vel vase porcellaneo per aliquod tempus sedulo agitando, donec Cineres clavellati dilapsi sint. Liquor per chartam vel manicam linteam colatus evaporet in vase ferreo, mundo, ad cuticulam salinam. Tunc per aliquot dies seponatur, ut salia heterogenea in crystallos concrecant. Dein lixivium per linteum in vas ferreum defunde, et inspissa, sub finem operationis perpetuo agitando, ne vasi adhaereat sal, ad siccum.

Massam salinam residentem denuo in pari pondere Aquae destillatae frigidae solve et lixivium, per chartam bibulam filtratum, repetita evaporatione ad siccum et in pulverem redige.

Kali carbonicum depuratum, vasis probe claudendis statim immissum loco sicco servandum est.

Referat grumulos pulverulentos, candidos; saporis alcalini insignis; aëris attactu facile deliquescentes; in pari pondere Aquae destillatae frigidae totos solubiles; in Spiritu Vini rectificatissimo non solubiles. Odore caret; calore aucto praeparatum funditur, sed non decomponitur. Solutio aquosa Kali carbonici depurati, Acido nitrico supersaturata, addito Liquore Baryi chlorati, Argenti nitrici et Ammoniaci caustici vix, nullo modo largius turbetur. Solutio dicta acidulata; usque ad siccitatem evaporata et in Aqua soluta, tantum vestigia pulveris insolubilis relinquat.

Solutio nitrica, Liquore Ammoniaci caustici perfecte neutralisata, addito Liquore Ammoniaci oxalici, vix praecipitetur. Ferrum politum in solutionem supra dictam non nimis acidulatam immissum, post aliquot horas colore rubro cupreo non obducatur.

### \* Kali carbonicum purum.

**Reines kohlensaures Kali. Weinsteinalz.**

*Sal Tartari. Kali carbonicum e Tartaro.*

*Rp.* Tartari depurati pulverati Libras tres,  
Kali nitrici depurati pulverati Libram unam cum  
dimidia.



Seorsim bene siccata misce, et in sartagine, e ferro fuso confectam, satis amplam eo modoingere, ut formam conicam referant. Tum ope prunae mixta versus conicacumen incende et detonatione peracta vide, ne particula ulla a flamma remaneat intacta. Massae carbonaceae inde exortae et penitus refrigeratae affunde:

Aquae destillatae frigidae Libras duas et sepone, subinde agitando, per aliquod tempus. Tum filtra sine elutione et liquorem coloris expertem in vase ferreo polito evaporatione ad siccum redige. Residuum adhuc calens contritum statim in vas vitreum calefactum immitte, et in eo bene clauso conserva.

Characteres chemici et physici sunt in descriptione Kali carbonici depurati jam dicti. Sit a Kalio chlorato et Alumina, quantum fieri potest, a metallis, excepto minima copia Ferri, plane liberum; caeterum chemice purum se habeat.

### \* Kali causticum.

**Aetzendes Kali. Aetzstein.**

*Lapis causticus.*

*Rp.* Liquoris Kali caustici recenter parati quantum vis.

Evapora calore satis aucto et celeriter in patina argentea, vel in lebetes ferreo polito tam diu, donec fluidum olei instar fluat, et gutta in lapidem frigidum instillata post refrigerationem perfecte indurescat. Tum effunde in formam politam, canaliculatam, ferream, leniter calefactam, nec sebo, nec oleo illitam, expelle bacillos fere refrigeratos ope spatulae parvae ferreae e forma, et immitte statim in vas optime claudendum.

Cavendum est, ne bacilli manibus attingantur.

Kali causticum format bacillos albos, vel albo-cinereos, siccos, fragiles, valde causticos, aëri expositos deliquescentes, Aquam et Acidum carbonicum attrahentes. Sunt in Aqua et in Spiritu Vini rectificatissimo facile solubiles, reactionis fortis alcalinae, odoris nullius et saporis acerrimi, caustici. Calore nondum ad rubedinem aucto fusibiles, calore rubro-candente volatiles sunt.

Inquinatio vestigiis Acidi sulphurici, Acidi carbonici, Chlori et Ferri pro usu pharmaceutico nullius momenti est, sed a Terra silicea, Alumina et Calcarea perfecte liberum sit. Quod attinet ad puritatem chemicam vide: Liquorem Kali caustici.

## Kali chloricum crudum.

**Rohes chlorsaures Kali.**

Praeparatum officinarum chemicarum.

## \* Kali chloricum depuratum.

**Gereinigtes chlorsaures Kali. Gereinigtes oxydirt-salzsures Kali.**

*Kali muriaticum oxygenatum depuratum. Kali oxymuriaticum depuratum.*

*Rp.* Kali chlorici venalis quantum vis.

Solve ope caloris in:

Aquae destillatae sufficiente quantitate.

Solutionem adhuc calidam filtra et sepone loco frigido ad crystallisationem. Crystallos sedulo ablutas et siccatas serva.

Format crystallos albas, lamellosas, klinorhombicas, in aëre non mutabiles, in Aqua solubiles. Sunt splendoris margaritacei, odoris nullius et saporis pungentis salini. Corporibus inflammabilibus mixtae valde detonant et excandefactae liquefiunt, Oxygenium emittentes. Pulverisatio hujus salis cautela maxima instituenda est.

Ne sit coloris flavescens. Solutio nec Liquore Kalii ferro-cyanati flavi, nec solutione Barytae nitricae, vix soluto Argento nitrico perturbetur. Residuum praeparati, in catino porcellaneo exaestuati, reactionem alcalinam non praebeat.



\* **Kali nitricum crudum.****Rohes salpetersaures Kali. Roher Salpeter.***Nitrum crudum.*

Paratur in officinis nitrariis, magna copia ejus etiam ex India orientali advehitur.

Nitrum occurrit in crystallis prismaticis, vel in glebis texturae crystallinae, odoris nullius et saporis amariusculi, acris cum sensu frigoris in ore conjuncti. Est albidum, diaphanum, in aëre nec deliquescens, nec fatiscens, ponderis specifici = 2,00; in Aqua facile solubile, leni calore liquefiens, dein Oxygenium impurum emittens; prunis injectum vehementer detonat.

Inquinaciones cum exiguis quantitatibus partium terrestrium, Kali sulphurici et Kalii chlorati vix ullius momenti sunt, sed a metallis et a Natro nitrico perfecte liberum reperiatur.

\* **Kali nitricum depuratum.****Gereinigtes salpetersaures Kali, Gereinigter Salpeter.***Nitrum depuratum.**Rp.* Kali nitrici venalis quantum placet.

Solve in patina porcellanea ope quantitatis sufficientis  
Aquae destillatae bullientis.

Solutionem adhuc ferventem filtra celerrime, et subjice crystallisationi.

Crystallos ablutas et siccatas serva.

Qualitates chemicae et physicae sunt in descriptione Kali nitrici crudi dictae. Solutio nec Liquore Ammoniaci hydrosulphurati, nec Liquore Kali carbonici praecipitetur. Tubulo ferruminatorio excandefactum flamma ne sit coloris flavi.

Sedimenta exigua, quae in solutione, admixto Liquore Barytae nitricae et Argenti nitrici, exoriantur, nullius momenti sunt.

\* **Kali sulphuricum crudum.**

**Rohes schwefelsaures Kali. Roher vitriolisirter  
Weinstein.**

*Tartarus vitriolatus crudus. Arcanum duplicatum.*

In officinis chemicis variis laboribus e. g. destillatione Acidi nitrici, praecipitatione Magnesiaae albae et cet., ut res accessoria obtinetur.

Crystalli sunt cohaerentes, durae, prismaticae, decolores, inodoraе, saporis amaricantis, salsi, in Aqua, sed non in Spiritu Vini solubiles, in aëre persistentes. Calore valde aucto fluunt. Si venalis non satis purum occurrit, crystallisatione iterata depuretur. Sit a metallis liberum, neutrum et siccum.

\* **Kali sulphuricum depuratum.**

**Gereinigtes schwefelsaures Kali. Gereinigter  
vitriolisirter Weinstein.**

*Tartarus vitriolatus depuratus.*

Si praeparatum venale non satis purum occurrit, eodem modo quo Kali nitricum etc. solutione et crystallisatione purificandum est.

Characteres chemici et physici in descriptione Kali sulphurici crudi jam dicti sunt.

Sit in Aqua destillata facile solubile; solutio limpida, quae nullam reactionem in chartas exploratorias praebeat, nec Liquore Kali carbonici, nec Liquore Ammoniaci hydrosulphurati perturbetur. Flamma tubuli ferruminatorii admixtione Kali sulphurici colore flavescente ne imbuatur.

\* **Kali tartaricum.**

**Weinsteinsaures Kali. Tartarisirter Weinstein.**

*Tartarus tartarisatus.*

*Rp.* Aquae communis Libras sex.

Ebullire fac in lebete cupreo, stanno bene obducto, et immitte sensim sensimque iterata vice seorsim:

Kali carbonici depurati Libras duas,

Tartari depurati Libras quatuor cum dimidia,



cautelam observans, ne effervescentia nimis vehemens fiat, neve liquidum trans margines lebetis trajiciatur.

Effervescentia finita explorandum est, utrum liquidum reactionis subalcalinae sit, nec ne, quod, si forsitan est, adde:

Kali carbonici depurati sufficientem quantitatem, ut paullulum praevalescat. Tum dilue fluidum cum:

Aquae communis Libris tribus,

et sepone in vase satis capaci murrhino per dies tres usque ad hebdomadem in loco frigido.

Fluidum a sedimento exorto decanta et filtra.

Tum evapora filtratum in lebete ferreo polito vel in patina porcellanea igne blando usque ad siccum, sub finem operationis spatula sedulo agitans. Praeparatum leni calore plane exsiccatum, serva in vasis siccis bene clausis.

Kali tartaricum est pulvis albidus, salinus, odoris nullius et saporis salini, amariusculi. Aëri expositum paullulum tumescit, sed non deliquescit; exaestuatatum fluit, et tum, colorem nigrum assumens, decomponitur.

In Aqua facile, in Spiritu Vini rectificatissimo difficulter solubile est. Solutio sit limpida et reactionis nullius, Acidis admixtis deponit Kali bitartaricum. Aqua hydrosulphurata ne praecipitetur, Liquor Natri phosphorici nulla vel vix ulla vestigia Calcariae praebat.

Parvae quantitates Kali sulphurici vel Kalii chlorati, praeparato admixtae, usui medicinali non nocent.

### \* **Kalium ferro-cyanatum flavum.**

**Gelbes Cyan-Eisen-Kalium. Blausaures Eisenoxydul-Kali. Blutlaugensalz.**

*Kali ferreo-borussicum. Kali zooticum.*

Praeparatum officinarum chemicarum, ignitione Kali carbonici, Carbonis animalis (e corio, sanguine) et digestionem solutionis ex iis paratae cum corporibus idoneis Ferrum continentibus, obtentum.

Format massas plerumque cohaerentes, crystallinas, subfatiscentes, diaphanas; coloris citrini, odoris nullius et saporis dulciusculi, amariuscule, salsi. Excandefactum decomponitur, in Aqua facile, in Spiritu Vini rectificatissimo non solubile est.

Acido hydrochlorato superfusum non effervescat, et solutio filtrata admixta solutione Barytae nitricae vix praecipitetur.

### \* Kalium jodatum.

**Jodkalium. Jodwasserstoffsäures Kali.**

*Kali hydrojodicum seu hydrojodicum.*

*Rp.* Liquoris Kali caustici, ab Acido carbonico liberi, quantum vis.

Immitte in vas ferreum et admisce, calore leni adhibito, sensim sensimque:

Jodij tantam copiam,  
donec fluidum colorem flavescenscentem assumserit.

Tum adde:

Pulveris subtilissimi Carbonis Ligni levioris decimam Partem ponderis Jodi adhibiti, et evapora fluidum inter perpetuam agitationem ope pistilli porcellanei usque ad siccum. Tege vas ferreum operculo apto, et auge calorem eo modo, ut fundus vasis rubedinem obscuram assumat.

Massam refrigeratam, in patinam porcellaneam immisam, superfunde:

Aquae destillatae pari pondere, solve leni calore, filtra et evapora leni calore usque ad crystallisationem. Crystallisatio tam diu reiteranda est, donec paucillum tantum lixivii supersit. Crystallos collectas immitte in infundibulum, ut lixivium, quantum fieri potest, defluat, denique exsicca perfecte in patina plana sub leni calore, et serva in vitro nigro, bene clauso.



Kalium iodatum format crystallos cubicas, hinc inde octaedricas, albas; odoris nullius, saporis acriter-salsi, dein amariusculi. Aëri humido expositae subdeliquescunt, calore nondum ad rubedinem usque aucto, fusibiles, ad albedinem usque aucto, volatiles sunt.

Sint in tribus quadrantibus Aquae, et sex usque septem Partibus Spiritus Vini rectificatissimi perfecte solubiles, et solutio sit reactionis neutralis vel subalcalinae.

Solutio aquosa, admixto Liquore Ammoniaci hydrosulphurati, ne praecipitetur, nec solutione Acidi tartarici colorem brunnescentem assumat.

Si solutio Kalii iodati ope Liqueoris Argenti nitrici perfecte praecipitatur, et sedimentum sedulo cum Liquore Ammoniaci caustico conquassatur, fluidum, a sedimento defiltratum, Acido nitrico admixto ne praecipitetur.

### \* Kalium sulphuratum pro balneo.

**Schwefelkalium zum Bade. Unreine Schwefelleber.**

*Hepar Sulphuris salinum seu alcalinum impurum.*

*Rp.* Cinerum clavellatorum, grosso modo pulveratorum,  
Libras duas,

Sulphuris sublimati Libram unam.

Misce et immitte in lebetem ferreum satis amplum tectumque, et expone leni igni, donec peracta effervescencia in massam homogineam coeant, et portiuicula ejus exemta in Aqua colore flavo fere perfecte solubilis sit. Tum remove lebetem ab igne et immitte massam semirefrigeratam tenacem in mortarium ferreum antea calefactum et pauxillo olei vel sebi illitum. Massa usque ad fragilitatem refrigerata quam celerrime grosso modo pulverisanda, et statim in vitris optime clausis servanda est.

Kalium sulphuratum est massa amorpha, subviridi-flavescens, fragilis, sicca; recens fere odoris nullius et saporis amari, hepatici, valde alcalini. Aëri exposita deliquescit sub emissione odoris Acidi hydrothionici.

Kalium sulphuratum sit maxima e parte in Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo solubile, et Acido sulphurico diluto superfusum gas Acidi hydrothionici copiose eructet.

Puritas chemica hujus praeparati, pro usu externo solum destinati, non majoris momenti est.

## Kalium sulphuratum purum.

**Reines Schwefelkalium. Reine Schwefelleber.**

*Hepar Sulphuris salinum seu alcalinum purum.*

Paratur eadem ratione uti Kalium sulphuratum pro balneo e:

Sulphuris depurati Parte una, et

Kali carbonici puri Partibus duabus.

Loco lebetis ferrei adhibe crucibulum Hassiacum vel porcellaneum.

Caeterum se habeat uti Kalium sulphuratum pro balneo, nisi quod in Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo perfecte solubile sit.

## \* Kino.

**Kino.**

*Gummi Kino. Gummi Gambiense.*

Kino verum, sic dictum Africanum perraro obvium, est succus induratus *Pterocarpi erinacei* Lamark. (*Pterocarpi Senegalensis* Hooker, seu *Drepanocarpi Senegalensis* Nees ab Esenb.), arboris Africae tropicae (Senegambiae) Cl. XVII. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. Leguminosae syst. natur.

Kino Indicum, Orientale, Malabaricum seu Amboinense est succus induratus *Pterocarpi Marsupii* Mart.

Sunt frustula irregularia, angulosa, friabilia, fragilia, rubro-fusca, trita fusca, splendentia, non vel vix tantum in margine diaphana, odoris nullius, saporis adstringentis, dulciusculi, non ingrati. Masticata salivam colore rubro tingunt, in Aqua calida sunt maxima e parte, ac in Spiritu Vini rectificatissimo ad tres quadrantes circiter solubilia. Saepissime solutio spiritiuosa post aliquod temporis spatium in gelatinam abit.



Merces spuriae sapore dignoscuntur.

Solutiones aquosae Kino Liquore Ferri sesquichlorati copiose colore cinereo-nigro, Liquore Hydrargyri bichlorati colore carneo, Liquore Plumbi acetici colore sordide griseo violaceo, Liquore Tartari stibiati statim colore laete-fuscescente praecipitantur.

Kino Bengalense est succus induratus Buteae frondosae Roxb., et Kino Americanum seu Jamaicense est extractum Coccolobae uviferae Linn. Praeterea Extractum Ratanhae Americanum, Extractum ligni Campechiani et Extractum Gallae Quercus calycis sub nomine Kino occurrunt et rejicienda sunt.

## \* Kreosotum.

### Kreosot.

Praeparatum officinarum chemicarum, destillatione pluries reiterata Picis liquidae etc. obtentum.

Liquor est peculiaris, decolor vel subflavus, limpidus, pellucidus, lucem maxime refringens, cutem erodens, odoris gravissimi, saporis acerrimi, subempyreumatici, ponderis specifici = 1,037. In partibus octoginta Aquae, in Spiritu Vini rectificatissimo, Aethere, Oleis aethereis et pinguibus, sicut in Acido acetico facile solubilis est. Ebullit temperatura + 162° R.

Serva caute.

In Liquore Kali caustici plane solvatur, et haec solutio admixta Aqua non turbetur. Aëri expositum Kreosotum non fuscescat, et solutio aquosa nec Chartam exploratoriam coeruleam, nec luteam mutet; admixto Liquore Ferri sesquichlorati colore brunnescente, non coeruleo, tingatur. Kreosotum frigori expositum in crystallos ne concreseat.

## \* Lacca Musci.

### Lakmus.

Pigmentum coeruleum e Lichene Roccella Linn. (Roccella tinctoria Achar.) insularum Canariensium, et e Lichene tartareo Linn. (Lecanora tartarea Achar.) in rupibus maritimis Sueciae crescente et aliis lichenibus obtentum.

Solummodo ad praeparandam Chartam exploratoriam coeruleam inservit.

\* **Lactucarium.****Englisches oder deutsches Gifflattichbitter.***Lactucarium Anglicum seu Germanicum.*

Succus lacteus, e caule vulnerato Lactucae virosae stillans, tum aëre induratus, denique leni calore siccatus.

Frustra sunt irregularia pisi vel nucis avellanae magnitudine, sicca, friabilia, flavo-fusca, odoris et saporis narcotici, peculiaris.

In Aqua et Spiritu e parte tantum solubile est.

Calefactum fere plane comburatur.

\* **Lapides Cancrorum.****Krebssteine. Krebsaugen.***Oculi Cancrorum.*

Cancer Astacus Linn. seu Astacus fluvialis Fabricii, animal crustaceum notissimum, ex ordine Decapodorum, in fluviis, rivulis et lacubus totius Europae frequens.

Colliguntur ex animalibus vivis contusis, sunt Aqua elota, dein siccata.

Concrementa sunt calcearea, concavo-convexa, alba, pisum circiter magna, e lamellis aliis aliis incumbentibus composita, superficie, qua ventriculo Cancri adhaerent, umbilicata.

Sint in Acido nitrico cum effervescentia solubiles et partem gelatinosam relinquant. Artificiales, in Acido nitrico insolubiles, rejiciantur.

\* **Lapis ophthalmicus.****Augenstein.***Cuprum aluminatum. Lapis divinus.*

*Rp.* Cupri sulphurici puri,  
Kali nitrici depurati,  
Aluminis depurati, singulorum Unciam unam.



Pulverata misceantur, deinde liquefiant leni igne in crucibulo Hassiaco. Parum refrigeratis admisce:

Camphorae tritae Drachmam semis.

Massam super lapidem ad laevigandum effusam, refrigeratam in frustula diffringe.

Serva in vitro clauso.

Sit albo-coerulescens, odoris camphorati insignis; saporis styptici, metallici, aciduli, nauseosi.

### \* Lichen Islandicus.

**Isländisches Moos.**

*Cetraria Islandica* Acharii (Lichen Islandicus Linn.). Planta frequentissima in montibus siccis et sylvis arenosis, ad alpes usque adscendens, Cl. XXIV. Ord. Lichenes syst. Linn. — Fam. Lichenes syst. natur. Advehitur praesertim e montibus Thuringiae, Hercyniae et Silesiae.

Lichen (thallus) erectus, foliaceus, sinuatus, varie laciniatus, fimbriatus, siccus, cartilagineus, strepitans, fragilis, saepe canaliculatus, subgriseo-albus, vel partim fuscescens vel rubicundus, saporis amari, mucilaginosi.

Lichen vetustus, coloris fuscii removeatur, et semper sit a quilibet liberatus.

### Lignum Campechense.

**Campecheholz. Blauholz.**

*Lignum Campechianum.*

*Haematoxylum Campechianum* Linn, arbor Americae calidioris. Cl. X. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Leguminosae syst. natur.

Lignum durum, ponderosum, e fusco-rubro violaceum, texturae fibrosae, odoris proprii debilis, saporis subadstringentis, dulciusculi. Inter masticandum salivam colore violaceo tingit.

\* **Lignum Guajaci.**

Guajakholz. Pockenholz. Franzosenholz.

*Lignum sanctum.*

Guajacum officinale Linn., arbor insularum Indiae occidentalis, praesertim Jamaicae, Domingo et cet. Cl. X. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Zygophylleae syst. natur.

Lignum e trunco vel ramis validioribus desumptum est ponderosum, compactum, durum, medullam versus e subviridi fuscum, pingue nitens, passim inaequaliter et radiatim fibras textas exhibens, albarno luteolo, leviori, fractura inaequali, fissili. Odoris est proprii, debilis, non ingrati, balsamici; saporis, si diutius masticatur, subamari, dein acriusculi. Facile flammam concipit, et, resinam exsudans, odore suavi comburit.

Lignum exterius, levius, in Aqua non subsidens, ex albido pallide fuscescens, removeatur.

Rasura venalis, sic dicta scobs Guajaci, maxime ex albarno solo constans, saepissime lignis alienis inquinata, usui ne adhibeatur.

\* **Lignum Juniperi.**

Wachholderholz.

De planta materna vide: Baccae Juniperi.

Lignum e trunco, ramis et radice desumptum, in frustis gravibus, variae magnitudinis, longitudinaliter fissis, tenacibus, venale occurrit.

Lignum cortice indutum est, extrinsecus griseo, intus ferrugineo et fibroso; substantia lignosa est albida. E radicibus desumptum est ochroleucum, subrubellum, compactum, resinosum. Odor accensi ligni est balsamicus et gratus.

Lignum radice ligno ramorum et imprimis trunci praestantius habetur.



\* **Lignum Quassiae.****Quassiaholz.***α) Lignum Quassiae Surinamense.*

Quassia amara Linn., arbor in Surinamæ et Brasiliæ sylvis primigeniis crescens. Cl. X. Ord. I. Fam. Simarubæe.

*β) Lignum Quassiae Jamaïcense.*

Quassia excelsa Swartzii (Picraena excelsa Lindley), arbor in Americae tropicæ, Jamaïcæ et insularum Caribæarum sylvis montosis crescens.

Lignum trunci et ramorum. Est albicans, tenax, leve, in frustis cylindricis, 2 ad 3 pollices crassis, ulnam et ultra longis, striatis, odoris nullius, saporis valde amari.

Rasuram non emas. Interdum etiam fraudulenter venditur lignum Rhois Metopii, quod maculis nigris, resinosis obiectum est, et cujus decoctum admixto Liquore Ferri sesquichlorati nigrescit, decoctum Quassiae autem vix mutatur.

Lignum Quassiae Surinamense præferendum est.

\* **Lignum Sassafras.****Sassafrasholz.**

Laurus Sassafras Linn., (Persea Sassafras,) Sassafras officinalis Nees ab Esenb. arbor Americae borealis, Pennsylvaniae, Carolinae et cet., Cl. IX. Ord. I syst. Linn. — Fam. Laurineae syst. natur.

Radix est magna, ramosa, in frustis diversae magnitudinis, cylindricis, flexuosis, rugosis, levibus, spongiosis, nodosis, griseo-ferrugineis vel rubellis occurrens.

Epidermis est griseo-ferruginea, rugosa, in cortice lamelloso, fibroso, crasso, rubiginoso. Substantia lignosa est

compacta, striis longitudinalibus, extrinsecus fuscis vel brunnescentibus, intus pallide luteis, variegata. Odore haud ingrato, fragrante, Foeniculo subsimili et sapore subdulci, aromatico, subacri gaudet.

Radix, quae epidermide et cortice caret, itaque odoris debilioris est, removeatur.

### **Linimentum ammoniacatum.**

**Ammoniak-Liniment. Flüchtige Salbe.**

*Linimentum volatile. Linimentum ammoniatum.  
Sapo ammoniacalis.*

**Rp.** Olei Olivarum Provincialis Partes quatuor,  
Liquoris Ammoniaci caustici Partem unam.

Misce in vitro, exacte agitando.

Para ex tempore.

Sit subfluidum, neve sepositum separetur.

### **Linimentum ammoniacatum camphoratum.**

**Ammoniakliniment mit Kampher. Flüchtige Kamphersalbe.**

*Linimentum volatile camphoratum. Linimentum ammoniato-camphoratum. Linimentum volatile cum Camphora.*

**Rp.** Olei camphorati,  
„ Olivarum Provincialis, singulorum Partes duas,  
Liquoris Ammoniaci caustici Partem unam.

Agitentur in vase vitreo, donec perfecte coeant.

Para ex tempore.

Sit subfluidum; odoris camphoracei, ammoniacalis; neve sepositum separetur.



### \* **Liquor Ammoniaci acetici.**

**Essigsäure Ammoniak-Flüssigkeit.**

*Rp.* Liquoris Ammoniaci caustici Uncias decem.

Immitte in vas idoneum porcellaneum vel vitreum, et admisce, saepius bacillo vitreo agitans, et sensim sensimque:

Aceti concentrati Uncias tredecim

vel tantam ejus copiam, ut perfecte neutralisetur. Tum adde:

Aquae destillatae Uncias septem

vel tantum ejus, ut sit fluidum pond. spec. 1,035 =  
6° Ar. Bk. Aq. gr.

Serva in vitris bene obturatis.

Sit decolor, limpidus, perfecte volatilis, quantum fieri potest neuter, et Spiritu Vini rectificatissimo mixtus sedimentum ne exoriatur. Aqua hydrosulphurata ne perturbetur. Odoris sit peculiaris, non empyrenmatici, saporis subpungentis, salini.

Continet 15 partes Ammoniaci acetici in 100 partibus.

### \* **Liquor Ammoniaci anisatus.**

**Anishaltige Ammoniak-Flüssigkeit. Anishaltiger Salmiakgeist.**

*Spiritus Salis Ammoniaci anisatus. Liquor Ammonii anisatus.*

*Rp.* Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam,  
Olei Anisi Drachmas tres.

Solutis adde:

Liquoris Ammoniaci caustici Uncias tres.

Misce.

Serva in vasis epistomiis vitreis munitis.

Sit limpidus, flavescens, odore Ammoniaci et Anisi, saporis similis, ponderis specifici 0,900 = 21° Ar. Bk. Aq. lev. Cum Aqua mixtus lactescat.

**Liquor Ammoniaci carbonici.****Wässriger Salmiakgeist, Kohlensäure Ammoniak-Flüssigkeit.***Spiritus Salis Ammoniaci aquosus. Liquor Ammonii carbonici aquosus.**Rp.* Ammoniaci carbonici Unciam unam,

Aquae destillatae Uncias quinque.

Misce solvendo filtraque.

Serva in vase epistomio vitreo clauso.

Sit limpidus, decolor, plane volatilis, ponderis specifici 1,070 usque ad 1,075 = 11½° Ar. Bk. Aq. grav.

**Liquor Ammoniaci carbonici pyro-oleosi.****Brenzlich-ölige Kohlensäure Ammoniak-Flüssigkeit, Gereinigter Hirschhorngeist.***Spiritus Cornu Cervi rectificatus. Liquor Ammonii carbonici pyro-oleosi.**Rp.* Ammoniaci carbonici pyro-oleosi Unciam unam.

Solve in:

Aquae destillatae Unciis septem.

Reponatur per aliquot dies ac filtretur.

Serva in vitro obturamento vitreo munito.

Sit limpidus, primum decolor, mox insigniter flavescens; odoris ac saporis Ammoniaci carbonici pyro-oleosi; ponderis specifici 1,050 = 8° Ar. Bk. Aq. grav. Aestui expositus totus diffugiat.

**\* Liquor Ammoniaci causticus.****Aetzammoniak, Salmiakgeist.***Spiritus Salis Ammoniaci causticus. Liquor Ammonii caustici.**Rp.* Calcariae ustae Libras tres.

Adde:



Aquae communis Libras decem,  
ut fiat massa subfluida, lactis instar, quam refrigeratam  
in cucurbitam immitte et adde:

Ammonii chlorati in frustulis Libras tres.

Adaptetur orificio cucurbitae in balneo arenae collo-  
catae ope gummi elastici tubus vitreus curvatus, qui  
in lagenam intermediam, tribus aperturis praeditam et  
Aquaë Unciarum viginti capacem, ad fundum usque  
porrigatur. Haec lagena tubo recto, fundum fere tan-  
gente et extremitate altera aperto, instructa sit, et per  
tertium tubum sed curvatum lagena cum excipulo, Librarum  
octo Aquae capaci, eo modo jungatur, ut tubus excipuli  
fundum tangat. Lagena intermedia contineat:

Aquae communis Uncias quatuor,  
excipulum vero:

Aquae destillatae Libras sex ad septem.

Juncturis bene clausis fiat leni igne extricatio gasis,  
excipulum bene refrigerando. Liquor in excipulo col-  
lectus cum ea copia Aquae destillatae misceatur ut  
pondus specificum sit  $0,960 = 7^{\circ}$  Ar. Bk. Aq. lev.

Serva in vasis epistomiis vitreis clausis.

Sit limpidus, coloris expers, odoris non empyreumatici, plane  
volatilis. Acido nitrico neutralisatus, affuso Liquore Argenti nitrici  
ne turbetur. Ammoniaco oxalico, Aqua hydrosulphurata et Aqua Cal-  
cariae ne praecipitetur. Sit ponderis specifici supra dicti.

Continet 10 partes Ammoniaci anhydri in 100 partibus.

### \*Liquor Ammoniaci causticus Dzondii.

**Dzondische Aetzammoniakflüssigkeit. Dzondischer  
ätzender Salmiakgeist.**

*Spiritus Salis Ammoniaci causticus Dzondii.*

*Rp.* Calcariae recenter ustae et pulverisatae Libras  
quinque,

Ammonii chlorati crudi perfecte sicci et pulverisati Libras duas.

Seorsim per cribrum trajecta misce quam celerrime, et immitte in cucurbitam vitream vel apparatus ferreum magnitudinis talis, ut duae trientes ejus impleantur, omnia observans, quae in descriptione Liquoris Ammoniaci caustici supra commemorata sunt. Lagena intermedia contineat loco Aquae:

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias quatuor, et excipulum:

Spiritus Vini rectificatissimi Libras quatuor, quarum pondus specificum iterata destillatione, addita parva quantitate Calcii chlorati, usque ad 0,828 auctum sit.

Destilla igne primum blando, tum fortiore tam diu, donec extricatio gasis cessaverit, excipulum aestate Aqua frigida, hieme nive refrigerans.

Praeparatum obtentum serva in vitris, optime clausis.

Sit decolor, limpidus, odoris non empyreumatici, sed fortis ammoniacalis et ponderis specifici 0,808 ad 0,810 = 40° Ar. Bk. Aq. lev.

### \* **Liquor Ammoniaci succinici.**

**Bernsteinsaure Ammoniakflüssigkeit. Bernsteinsaurer Hirschhorngest.**

*Liquor Cornu Cervi succinatus.*

*Rp.* Acidi succinici pulverisati Unciam unam.

Solve in patina porcellanea in:

Aquae destillatae Unciis octo.

Solutioni calefactae, sed non bullienti adde:

Ammoniaci carbonici pyro-oleosi quantum requiritur ad perfectam neutralisationem.

Filtra post aliquot horas.



Serva in vitro bene clauso.

Est fluidum limpidum, fusco-flavescens, per aetatem fuscescens, odoris empyreumatici, saporis salsi, pungentis, empyreumatici.

Sit reactionis neutralis vel vix subalcalinae, perfecte volatile et pond. spec. 1,055 = 8° Ar. Bk. Aq. grav.

Spiritu Vini rectificatissimo admixto, limpidum remaneat nec praecipitetur.

## Liquor Ammoniaci vinosus.

**Weiniger Salmiakgeist.**

*Spiritus Salis Ammoniaci vinosus.*

*Rp.* Spiritus Vini rectificatissimi Partes duas,  
Liquoris Ammoniaci caustici Partem unam.

Misce.

Serva in vitris bene clausis aut para ex tempore.

Sit clarus, limpidus, pond. specif. 0,904 = 18° Ar. Bk. Aq. lev.

## Liquor antimiasmaticus dilutus.

**Verdünnte Kupfersalmiak-Flüssigkeit.**

*Liquor antimiasmaticus Beisseri. Aqua antimiasmatica  
Koechlini.*

*Rp.* Liquoris antimiasmatici fortioris Drachmas duas,  
Aquae destillatae Uncias viginti.

Misce.

## Liquor antimiasmaticus fortis.

**Starke Kupfersalmiak-Flüssigkeit.**

*Liquor antimiasmaticus. Liquor Cupri ammoniato-  
hydrochlorici. Tinctura Salis Ammoniaci cupriferi.*

*Rp.* Cupri sulphurici puri Partem unam,  
Aquae destillatae Partes viginti.

Misce solvendo et instilla:

Liquoris Kali carbonici quantum sufficit ad perfectam praecipitationem.

Praecipitatum cum Aqua destillata bene abluet et sicca.

*Rp.* Hujus Cupri carbonici Grana triginta quinque.

Solve in:

Acidi hydrochlorati puri quantitate sufficiente  
(Granis quinquaginta),

et admisce:

Ammonii chlorati depurati pulverati Unciam unam,  
Aquae destillatae eam quantitatem,

ut liquor obtentus sit Unciarum quinque.

Serva in vasis bene clausis.

Sit limpidus, coloris smaragdini; saporis styptici, metallici.  
Drachma una continet Cupri Granum dimidium. Ponderis specificum  
est 1,070 = 11° Ar. Bk. Aq. grav.

## Liquor Calcariae hypochlorosae.

Unterchlorigsäure Kalk-Flüssigkeit. Chlorkalk-Flüssigkeit.

*Liquor Calcis oxymuriaticae. Liquor Calcariae chloratae.*

*Rp.* Calcariae hypochlorosae Partem unam,  
Aquae destillatae Partes sex.

In mortario lapideo contritae stent in vitro clauso  
per dimidiam horam, saepius agitando, dein filtrentur  
per chartam bibulam.

Paratur ex tempore.

Sit limpidus; odoris Calcariae hypochlorosae; ponderis specifici  
ciciter = 7° Ar. Bk. Aq. grav.



**Liquor Calcii chlorati.****Chlorcalcium-Flüssigkeit.***Liquor Calcariae muriaticae.*

*Rp.* Calcii chlorati (fusi) Partem unam,  
Aquae destillatae Partes duas.

Misce solvendo et filtra.

Serva in vitris probe clausis.

Sit limpidus, decolor; ponderis specifici 1,260 = 35° Ar. Bk. Aq.  
grav. Quod attinet ad signa chemica, vide Calcium chloratum.

**Liquor Ferri acetici.****Essigsäure Eisenoxyd-Flüssigkeit.**

*Rp.* Liquoris Ferri sesquichlorati Uncias sex.

In vas satis amplum, murrhinum immixtas dilue cum  
Aquae destillatae Libris sex,

tum admisce, radio fortiore infundens et agitans,

Liquoris Ammoniaci caustici Uncias decem,  
vel tantum ejus, ut fluidum reactionis alcalinae sit.

Omnibus substantiis pluries ope bacilli vitrei agi-  
tatis, subsidere fac et decanta, quantum fieri potest,  
fluidum a sedimento. Massam pultiformem, rubram im-  
mitte in colatorium e linteo densiore confectum, in  
tenaculum expansum, et ablue sedulo cum Aqua destillata.  
Tum subjice colatorium convolutum et filamentum alli-  
gatum prelo, primum leniter, dein, si sedimentum majus  
exsiccatum est, fortius, denique fortissime exprimens.  
Massam adhuc humidam e linteo exentam, cujus pon-  
dus circiter Uncias quatuor vel paullulum plus exaequat,  
immitte statim in lagenam vitream et affunde:

Aceti concentrati Uncias septem

interdum agitans, donec, calore artificiali non adhibito,  
minima tantum quantitas sedimenti non soluta sit.

Solutionem filtratam conserva in vitro clauso.

Liquor Ferri acetici est coloris rubro-fusci, odoris grati acidi et saporis valde styptici.

Sit limpidus, sed in stratis tantum tenuioribus diaphanus et ponderis specifici = 1,140 ad 1,145 = 21° Ar. Bk. Aq. grav.

Solutione Natri sulphurici ne perturbetur, et solutione Kalii ferrocyanati rubri, sic dicti salis Gmelini, ne coerulescat. Acido nitrico antea admixto decoloratur, Liquore Argenti acetici ne praecipitetur. Ferrum politum in liquorem immissum et post aliquod tempus exemptum, minime Cupro obductum sit.

### \* **Liquor Ferri hydrico-oxydati.**

**Eisenoxyhydrat in Wasser.**

*Ferrum hydricum in Aqua.*

*Rp.* Ferri sesquichlorati Uncias quatuor,  
Aquae destillatae Libras quatuor.

Solutis admisce agitando ope bacilli vitrei:

Liquoris Ammoniaci caustici Uncias septem,  
vel tantum ejus, ut Ammoniacum paullulum praevaleat.  
Sedimentum in filtro collectum ablue cum Aqua destillata,  
immitte massam adhuc humidam et pultiformem in lagenam et admisce:

Aquae destillatae quantitatem sufficientem,  
ut pondus totius miscelae sit Unciarum sedecim.

Serva in lagena bene clausa.

Semper ante dispensationem bene conquassandus est.

Sit turbidus et coloris fusco-rubri. Saepius recenter parandus.

### \* **Liquor Ferri chlorati.**

**Eisenchlorür-Flüssigkeit.**

*Liquor Ferri muriatici oxydulati.*

*Rp.* Ferri in filis Uncias duas.

Immitte in lagenam satis amplam et adde:

Acidi hydrochlorati puri Uncias decem,

Aquae destillatae Uncias quinque.



Lagena per viginti quatuor horas loco tepido, subinde agitando, reponatur, tum liquor a Ferro non soluto filtratione accelerata separetur, et additis:

Acidi hydrochlorati Guttis decem,  
in vasis Unciarum duarum circiter capacibus bene clausis servetur.

Sit limpidus, coloris viridis, ponderis specifici 1,250 usque ad 1,255 = 34° Ar. Bk. Aq. grav. — Continet 10,8 Partes ferrei in 100 Partibus. Nec Liquore Kalii sulpho-cyanati colore rubro imbuatur, nec Liquore Barytae nitricae praecipitetur. Si praeparatum, Liquore Ammoniaci caustico in excessu admixto, praecipitatum est, fluidum sedimento supernatans minime sit coloris coerulei.

### \* **Liquor Ferri sesquichlorati.**

**Eisenchlorid-Flüssigkeit. Eisenöl.**

*Oleum Martis.*

*Rp.* Ferri sesquichlorati quantum vis.

Solve calore adjuvante in sufficiente quantitate

Aquae distillatae, addendo

Acidi hydrochlorati quantum requiritur ad pulveris separati solutionem.

Tum adde solutioni:

Aquae destillatae tantum, ut pond. specif. sit 1,535 usque ad 1,540 = 59½° Ar. Bk. Aq. grav.

Filtra et conserva in vase epistomio vitreo munito.

Sit ponderis specifici supradicti, coloris e croceo fuscus, et reagentibus exploratus Ferri sesquichlorati instar se habeat.

Continet 16,66 Partes Ferri in 100 Partibus.

### \* **Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati.**

**Salpetersaure Quecksilberoxydullösung. In der Kälte bereitete salpetersaure Quecksilberoxydullösung.**

*Liquor Mercurii nitrosi frigore paratus.*

*Rp.* Hydrargyri depurati Uncias quatuor.

Immitte in patinam porcellaneam, et affunde:

Acidi nitrici puri Uncias quatuor.

Stent in loco non calido per horas viginti quatuor. Secerne crystallos collectas a fluido, abluere cum parva quantitate Aquae destillatae, cui vicesima pars Acidi nitrici puri admixta est, et exsicca solleter inter strata chartae bibulae, calore non adhibito.

Quarum crystallorum Unciam unam solve in mortario porcellaneo in miscela ex:

Aquae destillatae calidae Unciis octo, et

Acidi nitrici puri Drachma una et Granis decem, parata, filtra celeriter et si opus est, dilue cum Aquae destillatae tanta copia, ut fluidum sit pond. spec. 1,100 = 15° usque ad 16° Ar. Bk. Aq. gr.

Serva in vitris bene clausis et caute.

Liquor Hydrargyri nitrici oxydulati sit limpidus, decolor; odoris nullius et saporis metallici, caustici et nauseosi.

Si praeparatum Acido hydrochlorato diluto praecipitatum est, fluidum a sedimento defiltratum admixta Aqua hydrosulphurata ne brunescat.

### \* Liquor Kali acetici.

**Essigsäure Kali-Flüssigkeit. Weinstein-Blättererde-Flüssigkeit.**

*Liquor Terrae foliatae Tartari.*

*Rp.* Kali carbonici puri Uncias quinque,

Aceti concentrati Uncias sedecim,

aut quantum ad neutralisationem requiritur. Liquor incalescat, tum filtretur et tantum

Aquae destillatae affundatur, ut pondus totius sit Unciarum octodecim.

Continet 33,33 Partes Kali acetici in 100 Partibus, et parari quoque potest solvendo Partem unam Kali acetici in Partibus duabus Aquae destillatae.



Serva in vitris epistomiis vitreis munitis.

Sit limpidus, coloris expers; ponderis specifici 1,175 usque ad 1,180 = 25½° Ar. Bk. Aq. grav. Sit neuter; cum aequali volumine Spiritus Vini rectificatissimi mixtus, minime turbetur; Aqua hydrosulphurata affusa nil Plumbi aut alius metalli inesse indicet.

### \* **Liquor Kali carbonici.**

**Kohlensaure Kali-Flüssigkeit. Reine Pottaschen-Flüssigkeit.**

*Liquor Cinerum clavellatorum depuratorum. Liquor Kali subcarbonici. Oleum Tartari per deliquium. Liquamen Salis Tartari.*

**Rp.** Kali carbonici puri, optime siccati, Libram unam, Aquae destillatae Libras duas.

Misce solvendo et filtra.

Serva in vitris epistomiis vitreis munitis.

Sit limpidus, decolor, ponderis specifici 1,330 ad 1,335 = 42½° Ar. Bk. Aq. grav. Quod attinet ad signa chemica, Kali carbonico puro (soluto) similis sit.

### **Liquor Kali caustici.**

**Aetzkaliflüssigkeit. Kalihydratflüssigkeit. Lauge aus vegetabilischem Alkali.**

*Liquor Kali hydrici. Lixivium causticum vegetabile.*

**Rp.** Kali carbonici depurati Libras duas.

Solve in vase satis capaci ferreo in:

Aquae communis fervidae Libris viginti,  
et admisce ebullitione continua sensim sensimque ope spatulae ferreae:

Calcariae recenter ustae Libram unam,  
antea in patina fictili cum:

Aquae communis calidae Libris tribus

extinctae. Tum coque, interdum agitando spatula ferrea, fluidum in vase aperto tam diu, donec portiuncula, ope cochlearis argentei exenta et filtrata, admixto Acido sulphurico non effervescat. Fluidum satis refrigeratum immitte in lagenas, optime claudendas, et si subsederit, decanta a sedimento, et evapora celeriter inter bulliendum tam diu, donec Unciae quatuor liquoris impleant vas vitreum, Unciarum trium Aquae destillatae capax. Quaevis colatura vel filtratio in parando Liquore Kali caustici evitanda est.

Serva in vitris, embolis vitreis optime clausis.

Est liquidum, decolor vel vix subflavescens, limpium, consistentiae olei, reactionis valde alkalinae, odoris peculiaris et saporis acerrimi, caustici.

Sit ponderis specifici 1,330 ad 1,335 =  $42\frac{1}{2}^{\circ}$  Ar. Bk. Aq. gr. Acido sulphurico superfusum non vel vix effervescat. Acido nitrico neutralisatum, addito Liquore Ammoniaci oxalici et Aqua hydrosulphurata non praecipitetur. Praeparatum coloris brunnei, corpora organica continens, rejiciendum est.

Inquinamenta parca Terrae siliceae, Acidi hydrochlorati et Acidi sulphurici pro usu pharmaceutico non majoris momenti sunt.

Praeparatum, pro analysi chemica destinatum, sit perfecte purum.

Parari quoque potest e Parte una Kali caustici sicci et Partibus duabus Aquae destillatae.

## Liquor Myrrhae.

*Myrrhenflüssigkeit.*

*Liquamen Myrrhae. Oleum Myrrhae.*

*Rp.* Extracti Myrrhae Partem unam,  
Aqua destillatae Partes tres.

Misce solvendo.

Para ex tempore.

Sit coloris e fusco flavi turbidusque.



### \* **Liquor Stibii chlorati.**

**Antimonchlorür-Flüssigkeit. Gelöstes salzsaures Antimonoxyd. Antimonbutter.**

*Liquor Stibii muriatici. Butyrum Antimonii.*

*Rp.* Antimonii sulphurati nigri pulverisati Libram unam.

Immitte in cucurbitam satis capacem, collo longiori instructam, et affunde:

Acidi hydrochlorati crudi Libras quatuor.

Stent sub divo per horas duodecim, et ebulliant sub divo tam diu, donec extricatio gasis hydrosulphurati cessaverit. Tum filtra solutionem refrigeratam, et evapora sub divo, donec Libra una et dimidia supersint. Fluido, a sedimento defuso, admisce mixtionem ex:

Acidi hydrochlorati puri Unciis novem, et

Aquae destillatae Libra una et dimidia

paratam, vel quantum satis ejus, ut pond. spec. fluidi filtrati sit 1,345 ad 1,350 = 44° Ar. Bk. Aq. grav.

Liquorem Stibii chlorati serva caute in vitro, embolo vitreo munito. Sit liquor limpidus, rarius decolor, plerumque subflavescens, odoris caustici pungentis, acris, acidi, et saporis acerrimi caustici. Majori copia Aquae admixta deponatur pulvis copiosus, crystallinus, albidus, sic dictus pulvis Algarothi.

Puritas chemica hujus praeparati, tantum pro usu externo servientis, non summi momenti est.

### \* **Lithargyrum.**

**Bleiglätte.**

In officinis metallariis cupellatione Auri et Argenti, Plumbo accedente, paratur.

Glebae sunt flavo-rubrae, nitidae, tactu pingues, squamosae, inodoraе, insipidae, coquendo in Aceto concentrato penitus fere solubiles, ponderis specif. = 9,5.

Caute serva.

Lithargyrum Anglicum plerumque praefendum est.

Inquinatio cum Cupro facile detegitur, si pulvis subtilissimus praeparati Liquore Ammoniaci caustico digeritur. Color coeruleus vel coeruleus liquidi praesentiam Cupri indicat. Inquinatioes aliae metallicae hujus praeparati, usui externo solum inservientis, vix ullius momenti sunt.

### \* **Macis.**

**Muscatblüthe.**

*Myristica moschata* Thunb., *Myristica aromatica* Lam. arbor insularum Moluccarum, Cl. XXII. Ord. XIII. syst. Linn. — Fam. Myristiceae syst. natur.

Arillus nucis moschatae, rutilo-fulvus, corneo-coriaceus, subdiaphanus, flexilis, glaber, lineare- et lateraciniatus, striatus, laciniis incurvis, compressus oleum exsudans, odoris et saporis Nuci moschatae similis, praestabilioris.

Serva in vasis bene clausis.

### \* **Magnesia carbonica.**

**Kohlensaure Magnesia. Weisse Magnesia.**

*Magnesia hydrico-carbonica. Magnesia alba.*

Praeparatum officinarum chemicarum, praecipitatione *Magnesiae sulphuricae* ope Kali carbonici vel Natri carbonici, ablutione ope Aquae destillatae calidae facta, et exsiccatione sedimenti obtentum.

Format massam plerumque cubiformem, facile friabilem, laevem, levissimam, niveam, odore et sapore carentem, in Aqua vix, sed in Acido sulphurico vel hydrochlorico sub effervescentia facile et plane solubilem.



Trituranda et per cribrum trajicienda est.

Solutio hydrochlorica nec Aqua hydrosulphurata, nec Ammonio oxalico soluto, aliquot guttis Ammonii chlorati commixto, praecipitetur.

Aqua destillata, cum Magnesia carbonica cocta et filtrata, reactionem alkalinam nullam vel vix notabilem praebet.

### \* **Magnesia sulphurica cruda.**

**Schwefelsaure Magnesia. Bittersalz. Englisches Salz. Seidlitzer oder Epsomer Salz.**

*Sal amarum. Sal Anglicum, Sedlicense, Epsomense.*

Evaporatione et crystallisatione aquarum mineralium, quae Magnesiam sulphuricam continent, vel variis modis in officinis chemicis (e fossilibus Dolomit, Magnesit, et e muriis salinarum, Magnium chloratum continentibus et cet.) paratur.

Crystallos exhibet decolores, prismaticas, aciculares, splendentes, inodoras, vix subfatiscentes, saporis amari, refrigerantis. Sunt in Aqua facile, sed non in Spiritu Vini solubiles. Igne liquescunt, et, Aqua emissa, difficulter fusibiles sunt.

Si in commercio non satis purae occurrunt, crystallisatione iterata depurentur.

Humorem ex aëre non attrahant et solutio aquosa Aqua hydrosulphurata et Liquore Kali oxalici non permutetur. Solutio, ope Liquoris Plumbi acetici praecipitata et defiltrata, dein evaporata et excandefacta, residuum praebet, cujus solutio fervida Chartam exploratoriam luteam non brunnescat.

### \* **Magnesia sulphurica depurata.**

**Gereinigste schwefelsaure Bittererde. Gereinigtes Bittersalz.**

*Sal amarum depuratum.*

*Rp. Magnesia sulphuricae venalis quantum vis.*

In patinam porcellaneam immissam solve in:

Aquae destillatae fervidae quantitate pari.

Tum submitte solutionem adhuc ferventem filtratam loco frigido crystallisationi, et repete hanc operationem tam diu, quam diu crystalli purae largiuntur.

Crystallos leni calore siccatas conserva.

De qualitatibus vide ubi de Magnesia sulphurica cruda sermo est.

Solutio nec Aqua hydrosulphurata, nec, Ammonio chlorato soluto copiose admixto, Liquore Ammoniaci oxalici praecipitetur. Solutio, Liquore Plumbi acetici depurati perfecte praecipitata, sedimento a fluido defiltrato, fluido primum usque ad siccum evaporato, tum exandefacto et massa carbonacea ope Aquae destillatae fervidae extracta, fluidum edat, quod filtratum Chartam exploratoriam rubram non coerulestat.

### \* Magnesia sulphurica sicca.

**Trockene schwefelsaure Bittererde. Trockenens  
Englisches Salz.**

*Sal Anglicum siccum.*

*Rp.* Magnesia sulphuricae depuratae quantum vis.

Expone calori 18 ad 20° R. tam diu, donec perfecte ad pulverem dilapsa sit.

Reagentibus explorata, Magnesia sulphuricae purae instar se praebeat.

### \* Magnesia usta.

**Gebrannte Magnesia.**

*Magnesia calcinata.*

*Rp.* Magnesia carbonicae, ad pulverem non tritae, quantum placet.

Immitte in crucibulum Hassiacum tectum, et tam diu igni candenti expone, donec particula massae exemptae, aliquot guttis Aquae contrita, cum Acido sulphurico diluto vel hydrochlorico amplius non effervescat. Praeparatum refrigeratum in vitris bene clausis servandum est.



Magnesia usta est pulvis subtilis, levior quam Magnesia carbonica, candidissimus, in Aqua difficillime solubilis, odore et sapore fere omnino caret, et igne communi fundi non potest. Aqua humectatus reactionem alkalina[m] exhibet.

Acidis instillatis gas carbonicum non eructet, et quamvis lente, sed perfecte solvatur; ceterum, reagentibus explorata, Magnesia carbonicae instar se habeat.

### \* Manganum hyperoxydatum nativum.

**Manganhyperoxyd. Graubraunsteinerz. Pyrolusit.  
Schwarze Magnesia.**

*Magnesia nigra.*

Minerale praecipue in metallifodinis Germaniae, Francogalliae et Hungariae occurrens.

Est griseo-nigrescens, persplendens, compactum aut radiatum, tritum digitos valde inquinans, non admodum durum, pond. specif. = 4,3 ad 4,8. Plerumque massam plane amorpham, vel crystallinam acicularem, rarius prismata regularia recte rhombica exhibet. Pulverem praebet griseo-nigrum, nec nigro-fuscum (Glanzmandanerz), nec fusco-rufum (Bsilomelan). Contineat pro laboribus pharmaceuticis circiter sexaginta partes centesimas ( $\frac{60}{100}$ ) Mangani hyperoxydati puri.

### \* Manna.

*Manna.*

Fraxinus Ornus Linn. (Ornus Europaea Pers.) et Fraxinus rotundifolia Linn. (Ornus rotundifolia Aiton.), arbores in regno Neapolitano, praecipue in Calabria et Sicilia, Cl. XXIII. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Oleineae syst. natur.

Est succus in aëre induratus, e trunco et ramis sauciatis arborum dictarum obtentus.

Manna sic dicta electa aut canellata occurrit in frustulis canaliculatis, irregularibus, friabilibus, albis vel subflavescentibus.

Manna sic dicta Calabrina exhibet frustula conglobata, e fusco et flavo variegata, calore manus emollienda et subviscida, cum frustulis albis plus minusve mixta.

Manna est odoris peculiaris, submellei, saporis dulcis, dein subacris non grati.

Manna sit levis et sicca, minime crassa, mollis, humida, sordida, fusca.

Sit in Aqua frigida, quisquiliis paucis exceptis, tota solubilis. Solutio in Spiritu Vini rectificatissimo caloris ope facta et filtrata Mannitum in forma pulveris albi crystallini copiose demittat.

Adulteratio Mannae cum Saccharo facile detegitur, si Manna, fermento mixta, temperatura idonea mox in fermentationem vinosam transit, et destillatione Spiritum Vini exhibet.

### \* Mastiche.

**Mastix.**

*Mastix.*

*Pistacia Lentiscus* Linn., frutex insularum Archipelagi, Cl. XXII. Ord. V. syst. Linn. — Fam. *Terebinthaceae* (*Anacardiaceae*) syst. natur.

Resina e frutice dicto, singulari modo culto, praecipue in insula Chio exsudat et in aëre inspissat. Exhibet grana subglobosa, magnitudine piperis vel pisi, albido-citrina, subpellucida, dura, friabilia, levia, sicca, superficie pulverulenta, impolita; masticata tenacia, lentescentia, dentibus adhaerentia; in Spiritu Vini rectificatissimo maxima e parte, in oleis plane solubilia; odoris debilis, aromatici, saporis aromatici, irritantis. Mastiche leni calore fluit, odorem suavem, balsamicum spargens.

Pro usu medicinali Mastiche sic dicta electa solummodo adhibeatur; sic dicta in sortis, fusca vel subnigrescens, quisquiliis multis intermixta, rejiciatur.



\* **Mel.****Honig.**

*Apis mellifica*, insectum notissimum ex ordine *Hymenopterorum*.

Substantia saccharina, e nectariis florum collecta, et in corpore apium quodammodo modificata.

Mel album seu virgineum quidem optimum est, sed nimis raro venale occurrit.

Mel commune seu crudum, plerumque adhibitum, sit coloris flavescentis, in subfuscum vergentis et consistentiae spissioris, in vetustiori granuloso-crystallinae.

Mel farina contaminatum, admixta Tinctura Jodi coerulea, sicut tenue, fermentatione corruptum, odoris et saporis aciduli, ingrati rejiciatur.

Saepissime etiam Aqua commixtum invenitur, quod pondere specifico exploratur. Mel purum optima indolis pondus specificum = 1,42 ad 1,43 habeat.

Mel quoque sic dictum Americanum ne adhibeatur.

\* **Mel depuratum.****Gereinigter oder abgeschäumter Honig.***Mel despumatum.*

*Rp.* Mellis Partes quinque,  
Aquae communis Partem unam.

Misce solvendo ac liquorem in lebete cupreo, stanno obducto, modico calore usque ad coctionis gradum calefac. Simulac a calore expanditur, statim sine agitatione parvam copiam Aquae frigidae infunde et lebetem statim ab igne remove. Spumam ortam detrahe ope cochlearis despumatorii, quo facto hoc modo bis terve perge, donec perfecte limpidum inveniatur. Tum cola per manicam laneam et serva usui post refrigerationem.

Spumam vero, si majorem copiam Mellis retinet, pauxillo Aquae leni calore decoque et modo dicto depura ad justam consistentiam, lenissimo calore evaporando.

Serva in vasis charta cerata aut subere clausis.

Sit limpidum, brunneo-flavum; odoris ac saporis specifici Mellis, nec empyreumatici, nec acidi; ponderis specifici 1,30 = 39° Ak. Bk. Aq. grav.

### \* Mel rosatum.

**Rosenhonig.**

*Mel Rosarum. Mel Rosae. Syrupus Rosarum.*

*Rp.* Florum Rosae centifoliae paululum concisorum  
Uncias duas.

Affunde:

Aquae fervidae Libram unam.

Macera per noctis spatium et colando exprime.  
Liquorem colatum cum:

Mellis depurati Libris duabus  
leni igne ad syrupi spissioris consistentiam evapora.

Serva in loco frigido.

Sit saturatius, Melle depurato, tinctum; odore et sapore sat rosaceo.

### \* Minium.

**Mennige.**

Paratur in officinis chemicis Angliae et Germaniae ustione cauta Plumbi oxydati flavi (Massicot) sub aëris accessu.

Pulvis subtilis ex aurantiaco ruber, oculo armato micans; inodorus, insipidus, non in Aqua, sed in Acidis



pro parte solubilis, pond. specif. = 8,94; excandefactus  
Oxygenium emittens, Lithargyro sic dicto remanente.  
Sera caute.

Inquinatio Minii cum Cupro facillime detegitur, si solutio Am-  
monii carbonici post digestionem cum Minio inquirendo colorem coe-  
ruleum praebet. Praesentia parvae quantitatis Ferri in Minio vix  
ullius momenti est.

### \* *Mixtura sulphurica acida.*

**Schwefelsaure Mixtur.**

*Loco Elixirii acidi Halleri, Liqueoris acidi Halleri  
et caet. Mixtura sulphurico-acida. Alcohol sulphuricus.  
Aqua Rabelii.*

**Rp.** Spiritus Vini rectificatissimi Uncias tres.

Vasi vitreo capaciori immissis instilla per vices  
manu caute agitando et denuo refrigeratis:

Acidi sulphurici puri Unciam unam.

Serva in vitro embolo vitreo clauso.

Sit limpida, coloris expers; odoris spirituosus, subaetherei; saporis  
acidi, caustici; ponderis specifici 1,005 usque ad 1,010 = 1° usque  
ad 1½° Ar. Bk. Aq. grav.

### **Morphium.**

**Morphium.**

*Morphina.*

Alcaloidum, Acido meconico conjunctum in Opio  
occurrens. Ex officinis chemicis emere licet.

Format crystallos albidas, prismaticas, aciculares,  
amaras, subdiaphanas, in Aqua calida parum, in Ae-  
there minime, in Spiritu Vini rectificatissimo solubiles.  
Tubulo ferruminatorio excandefactae carbonem perfecte  
comburendum edunt. Solutio reactionem alcalinam  
praebet.

\* **Morphium aceticum.****Essigsaures Morphium.***Morphina acetica.*

*Rp.* Aceti concentrati,  
 Aquae destillatae, singulorum Unciam dimidiam.  
 Misce et solve leni calore:  
 Morphii Unciam dimidiam, aut quantum solvitur.  
 Solutio filtrata leni calore (+ 16° ad 20° R.) in  
 vasis porcellaneis evaporanda est. Massa vernisii instar  
 exsiccata, ope spatulae e vase eradenda, et in mortario  
 lapideo pulverisanda est.

Servetur in vitro bene clauso.

Morphium aceticum difficile in crystallos redigi potest, plerumque  
 format massam amorpham, non perfecte albam, peramaram, facilius in  
 Aqua, quam in Spiritu Vini rectificatissimo solubilem. Si in Aqua non  
 perfecte solubile est, aliquot guttae Aceti concentrati addendae sunt.  
 Cum Liquore Ferri sesquichlorati mixtum coeruleseat, et tubulo ferru-  
 minatorio excandefactum Morphii puri instar se habeat. Liquor Kali  
 caustici solutioni immixtus praecipitatum edat, quod in excessu rea-  
 gentis perfecte resolubile est.

\* **Moschus.****Moschus.**

Moschus moschiferus, animal e classe Mam-  
 malia, ex ordine Bisulca, quod montes sylvosos  
 Asiae mediae, praecipue regni Thibetani et Sibiriae  
 australis inhabitat.

Moschus continetur in folliculis, in ventre prope  
 genitalia et pone praeputium Moschi moschiferi maris  
 positus.

Sit unctuosus, subgranulosus, recens granula fusco-  
 nigricantia, magis exsiccatus ferrugineo-nigra referens,  
 tritus in stratum tenue extenuandus, et punctis subresi-  
 nosis lucidius flavicantibus micans. Ne sit sabulosus,



saporis amaricantis, penetrantis, exaestuantis, salini. Odor Moschi recentis est peculiaris, diu persistens, gravissimus, valde diutinus, solum in particulis minimis et e distantia non ingratus. Moschus vetustior, odoris ammoniacalis non adhibendus est.

Pro usu medicinali solum Moschus Tunquinensis (Orientalis, Thibetanus) dispensandus est, cujus folliculi magnitudinis ovi gallinacei et minores, pollicem aut sesqui- alterum lati, hinc convexi, inde plani, orbiculares, turgidi; extus pilis brevibus adpressis, plerumque subfuscis, vel rufis, crassis obsiti, intus membrana fusca, tenui vestiti sunt.

Moschus Cabardinicus plane rejiciatur, in folliculis quidem similibus, sed majoribus, magnitudinem ovi gallinacei plerumque superantibus, minus orbicularibus, magis oblongis, qui semper pilis minus adpressis, durioribus, densis, longioribus, ex albido argenteis obsiti sunt, odoris debilioris, magis urinosi.

Serva in vitris optime clausis, et propria supellectile dispensa.

Moschus sic dictus e vesicis, adulterationis suspectus, plane rejiciatur.

Suturae in folliculis Moschi semper suspicionem adulterationis movent.

In combustionem Moschus odore animali, empyreumatico ne foeteat, et solummodo cineres paucos, gryseo-albidos, minime fuscis relinquat.

In Spiritu Vini rectificatissimo Moschus pro parte solubilis est, Aqua calida e parte majori, Liquore Ammoniaci caustico maxima e parte solvatur.

## Mucilago Gummi Arabici.

### Gummischleim.

*Mucilago Gummi Mimosae. Solutio gummosa.*

*Rp. Gummi Arabici in frustulis Partem unam,  
Aqua destillatae Partes duas.*

Solve frigide, saepius agitando et cola.

Serva in loco frigido.

Sit fere limpida, pallide flava, saporis fatui.

## Mucilago Radicis Salep.

**Salepschleim.**

*Decoctum Salep. Infusum Salep.*

*Rp.* Radicis Salep subtilissime pulveratae Drachmam unam.

Immitte in lagenam et affunde:

Aquae communis frigidae Uncias duas.

Agitando bene mixtis adde:

Aquae communis fervidae Uncias decem,

quo facto mixta in vase conquassentur, donec frigefacta sint.

Para ex tempore.

## Mucilago Seminum Cydoniorum.

**Quittensamen - Schleim.**

*Rp.* Seminum Cydoniorum Grana sedecim.

Affunde:

Aquae destillatae fervidae Unciam unam.

Macera per quadrantem horae in vitro, saepius probe quassando, et cola.

Para ex tempore.

## Mucilago Tragacanthae.

**Traganthschleim.**

*Rp.* Tragacanthae pulveratae Scrupulum semis,

Gummi arabici Grana quatuor.

Misce terendo in Mortario lapideo, et adde sensim solvendo:

Aquae destillatae tepidae Unciam unam.

Para ex tempore.



\* **Myrrha.****Myrrhe.**

Balsamodendron Myrrha Ehrenb. Nees ab Esenb. (Amyris Kataf Forsk.), frutex Arabiae felicis et Aethiopiae, Cl. VIII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Burseraceae syst. natur.

Myrrha est succus gummi-resinosus, e cortice fruticis supra dicti exsudans, postea in aëre induratus.

Myrrha sic dicta electa exhibet grana vel frustula irregularia, magnitudine nucis avellanae vel juglandis. Sunt friabilia, rugosa, ochroleuca vel fusco-rubra, subinde striis vel maculis pallidioribus immixtis, subdiaphana, passim fere opaca; extus subpulverulenta, tactu arida, simul tamen subpinguia, Aqua ponderosiora, trituro pulverem flavum praebentia, odoris peculiaris, aromatici nec ingrati, saporis similis et amari. Flammae admota non liquantur sed intumescunt, et odorem gratum spargentia deflagrant; in Aqua e minori, in Spiritu Vini rectificatissimo e majori parte solubilia sunt.

Myrrha sic dicta naturalis vel in sortis, magis obscura et nigro-fusca, et Myrrha sic dicta nova (Orientalis), fragmenta majora exhibens, aspectu magis pinguia, extus nigrescentia, intus fusco-rubra, odoris ingrati terebinthinacci, saporis nauseosi amarissimi, rejiciantur. Cave, ne frustula Gummi Arabici, quae sub dentibus viscida, saporis mucilaginosi, in Aqua solubilia, in Spiritu Vini dissolubilia sunt, Myrrhae genuinae insint.

\* **Natrium chloratum.**

**Chlornatrium. Salzsaures Natron. Gemeines Salz. Kochsalz.**

*Natrum muriaticum. Sal commune seu culinare.*

Fossile solidum effoditur, sed pro parte multo majore evaporatione et crystallisatione e fontibus salinis in salinis obtinetur; etiam in Aqua marina, aliis salibus conjunctum occurrit. Est crystallinum, album, pella-

cidum, saporis notissimi, in Aqua solubile. Super igne crepitat et desilit, calore aucto fluit, igne reverberario in auras abit.

Si necesse est reiterata crystallisatione depurandum est,

Serva in loco sicco.

Attactu aëris ne nimis humescat; solutio aquosa nec Aqua hydro-sulphurata, nec solutionibus Barytae nitricae et Natri carbonici praecipitetur. Sedimentum album, Liquore Argenti nitrici exortum, in Liquore Ammoniaci caustico, cum triplo Aquae diluto, penitus resolubile sit.

## Natrum aceticum.

**Essigsaures Natron. Krystallisirte Weinstein-Blättererde.**

*Terra foliata Tartari crystallisata.*

*Rp.* Natri carbonici depurati Uncias sex.

Immitte in patinam porcellaneam satis amplam, et adde calorem blandum adhibens, sensim sensimque:

Aceti concentrati Uncias sedecim,  
vel quantum satis ejus ad saturationem. Fluidum filtratum, quod reactionis subcalinae sit, evapora tam diu, donec pellicula appareat. Tum sepone loco frigido, ut crystalli exoriantur. Crystallos collectas immitte in infundibulum, ut fluidum, quantum fieri potest, defluat; tum sicca inter chartam bibulam albam sub leni calore. Lixivium, quod, si opus est, carbone ossium decolorandum est, evapora denuo et tam diu, quam diu crystalli largiuntur.

Praeparatum obtentum conserva in vase bene clauso.

Format prismata longa, coloris expertia, pellucida, striata, oblique rhombica, paullum fatiscentia, Kali acetico, non solum quoad saporem et odorem, sed etiam quoad characteres chemicos, similia.



Sint in Partibus tribus Aquae, et in viginti Partibus Spiritus Vini rectificatissimi perfecte solubilia. Solutio limpida reagentibus Kali acetici exploretur.

Si forsitan loco solutionis Natri acetici solutio Kali acetici substituta est, in hac solutione admixto Acido tartarico soluto sedimentum exorietur.

### \* **Natrum bicarbonicum.**

**Doppelt kohlensaures Natron. Saures kohlensaures Natron. Vollständig gesättigtes Sodalalz.**

*Natrum carbonicum acidulum. Sal Sodae perfecte saturatum.*

Praeparatum officinarum chemicarum, saturatione Natri carbonici depurati cum Acido carbonico obtentum.

Format crustas albas, nitidas, plerumque amorphas, rarius crystallinas, duras, aëri expositas non fatiscentes. Sunt odoris nullius, saporis mitioris, subalcalini; in Aqua, sed non in Spiritu Vini rectificatissimo solubiles. Aqua bulliente decomponuntur. Excandefactae immixtione gasis Acidi carbonici Natrum carbonicum relinquunt.

Solutio aquosa Chartam exploratoriam rubram nec colore coeruleo imbuat, nec Aqua hydrosulphurata, nec Magnesia sulphurica soluta permutetur. Solutio Hydrargyri bichlorati primo praecipitatum album producat, quod postea emissione gasis Acidi carbonici colore rubro imbuatur. Admixtiones parvae Natrii chlorati et Natri sulphurici, quae fere semper in hoc praeparato inveniuntur, pro usu medicinali nullius momenti sunt. Platino chlorato soluto admixto praecipitatum ne exoriatur.

### \* **Natrum carbonicum crudum.**

**Rohes kohlensaures Natron. Rohes Sodalalz. Rohes mineralisches Laugensalz.**

*Sal Sodae crudum. Alkali minerale crudum.*

Rarius nativum occurrit; artificiale combustione

plantarum marinarum in Hispania, Francogallia et Scotia, et in officinis chemicis, methodis variis, praecipue calcinatione miscelae Natri sulphurici, Carbonis et Calcis obtinetur. Exhibet frustra prismatica, rhomboidalia, crystallina, ampla, dura, alba, pellucida, aëre fatiscentia, in Aqua facile solubilia, inodora, saporis alcalini. Calore facile liquescit. Solutio reactionis alcalinae est.

Metallis inquinatum rejiciatur, et, si opus est, crystallisatione nova depuretur.

### \* **Natrum carbonicum depuratum.**

**Gereinigtes kohlensaures Natron. Gereinigtes Sodasalz.**

*Sal Sodae depuratum.*

E Natro carbonico crudo eodem modo, ut Kali nitricum depuratum e Kali nitrico crudo, depurandum est, quae operatio optime hiemis tempore perficitur.

Serva in loco frigido in vasis bene clausis. Characteres chemici et physici sunt Natri carbonici instar, sed purius est.

Solutio nec Liqueore Ammonii hydrosulphurati, nec Acido oxalico soluto perturbetur. Instillato Acido hydrochlorato puro nec odor Acidi sulphurosi vel Acidi hydrothionici, nec sedimentum Sulphuris producatur. Exiguæ admixtiones Natrii chlorati et Natri sulphurici preparatum ad usum pharmaceuticum haud inutile reddunt.

### \* **Natrum carbonicum siccum.**

**Trocknes kohlensaures Natron. Trocknes gereinigtes Sodasalz.**

*Sal Sodae depuratum siccum.*

Eodem modo uti Natrum sulphuricum siccum, e Natro carbonico depurato parandum.

Sit pulvis albus, subtilissimus. Reagentibus exploratum Natri carbonici depurati instar se praebeat.



## Natrum nitricum crudum.

**Rohes, käufliches salpetersaures Natron. Chili-salpeter. Cubischer oder Rhomboidalsalpeter.**

*Nitrum cubicum seu rhomboidale.*

Sal nativum summa in copia ex America australi advehitur.

Massa crystallina rhomboidea, sordide alba, in Aqua facile solubilis et saporis subacris, subrefrigerantis est. Metallis ne sit inquinatum.

Aëri sicco expositum non mutetur.

Inservit ad parandum Natrum nitricum depuratum.

## \* Natrum nitricum depuratum.

**Gereinigtes salpetersaures Natron. Gereinigter cubischer Salpeter.**

*Nitrum cubicum purum.*

Eodem modo, quo Kali nitricum depuratum e Nitro venali, e Nitro sic dicto Chilensi depurandum est.

Qualitates chemicae et physicales sunt Natri nitrici venalis instar.

Sit album, pellucidum, et in Aqua perfecte solubile.

Solutio praeparati nec solutione Acidi tartarici, nec Aqua hydro-sulphurata praecipitetur. Liquore Ammoniaci oxalici non perturbetur, et fluidum, a sedimento forsitan exorto defiltratum, admixto soluto Natro phosphorico ammoniacali praecipitatum crystallinum non edat. Cum Amylo soluto mixta, et minima copia Aquae chloratae addita, solutio colore coeruleo non imbuatur. Solutiones Barytae nitricae et Argenti nitrici vix ullam reactionem praebent.

## Natrum phosphoricum.

**Phosphorsaures Natron. Phosphorsaure Soda.**

*Soda phosphorica.*

*Rp.* Acidi phosphorici,

Aquae destillatae, singulorum Libram unam cum dimidia.

Misce et in patina porcellanea calefactis adde:

Natri carbonici depurati Libram unam,  
vel tantum ejus, ut Natrum paullulum praevaleat.  
Lixivium filtratum evapora usque ad pelliculam, sepone  
in loco frigido, ablue crystallos secretas, et serva siccitas  
in vase bene clauso.

Natrum phosphoricum format columnas vel tabulas  
decolores, primo pellucidas, dein opaciores et fatiscen-  
tes, oblique-rhombicas. Est inodorum; saporis mitis,  
salsi, amariusculi, refrigerantis; in Aqua facile, sed non  
in Spiritu Vini rectificatissimo solubile. Solutio est  
reactionis debilis, sed perspicue alcalinae. Exaestuatum  
emittit Aquam, et in Natrum pyrophosphoricum trans-  
mutatur.

Natrum phosphoricum, Acidis superfusum, non effervescat, et sit  
in quatuor Partibus Aquae frigidae perfecte solubile. Solutio, Liquore  
Ammoniaci oxalici commixta, ne perturbetur. Gas hydrosulphuratum,  
in solutionem, Acido hydrochlorato puro acidulata, immisum, nul-  
lum sedimentum citrinum producat. (Hoc sedimentum, praesentia  
Arsenici exortum, ab illo coloris multo pallidioris, quod etiam in  
praeparato puro Sulphure oritur, bene distinguendum est.) Exiguas  
quantitates Natrii chlorati et Natri sulphurici, praeparato admixtae,  
et reagentibus saepissime nominatis et cognitissimis in solutione salis,  
Acido nitrico acidulata, explorandae, pro usu pharmaceutico nullius  
momenti sunt.

### \* Natrum sulphuricum crudum.

**Rohes schwefelsaures Natron. Glaubers Wundersalz.**

*Sal mirabile Glauberi crudum.*

In officinis chemicis et pharmaceuticis, permultis  
operationibus ut res accessoria, e. g. in praeparatione  
Acidi hydrochlorati obtinetur.

Occurrit in crystallis prismaticis hexa- vel octogonis,  
decoloribus, pellucidis, fatiscentibus, inodoris, saporis  
primum refrigerantis, dein amari subsalini. Calori



expositum facile liquefit, dein, Aqua evaporata, in massam siccam salinam, et aucto calore fusibilem convertitur. Sal non satis purum crystallisatione iterata depuretur.

Sit in Aquae frigidae tribus Partibus solubile, solutio Chartam exploratoriam coeruleam ne rubefaciat, neve Liquore Ammoniaci hydrosulphurati et Kali oxalici perturbetur. Solutio Natri carbonici nullum, vel vix ullum sedimentum producat. Vestigia Natrii chlorati in praeparato nullius momenti sunt.

### \* Natrum sulphuricum depuratum.

**Gereinigtes schwefelsaures Natron. Glaubers gereinigtes Wundersalz.**

*Sal mirabile Glauberi depuratum.*

E Natro sulphurico crudo eodem modo ut Kali nitricum depuratum e Kali nitrico crudo depurandum est.

Serva in loco frigido in vasis bene clausis. De qualitatibus physicis et chemicis hujus praeparati vide, ubi de Natro sulphurico crudo sermo erat.

Solutio non sit reactionis acidulae, nec Liquore Ammonii hydrosulphurati, nec Natri carbonici praecipitetur. Admixtio exigua Natrii chlorati, quae Liquore Argenti nitrici exploratur, pro usu medicinali nullius momenti est.

### \* Natrum sulphuricum siccum.

**Trocknes schwefelsaures Natron oder Glaubersches Wundersalz.**

*Sal mirabile Glauberi siccatum.*

*Rp.* Natri sulphurici depurati, grosso modo pulverisati, quantum vis.

Expone calori + 16 ad + 20° R. tam diu, donec in pulverem omnino siccum dilabatur. Per cribrum trajectum conserva in vasis obturatis.

Reagentibus exploratum Natri sulphurici depurati instar se habeat.

Si medicus Pulverem Natri sulphurici depurati postulat, Natrum sulphuricum siccum dispensandum est.

## Nuces Juglandis immaturae.

### Unreife Wallnüsse.

*Juglans regia* Linn., arbor Persiae, apud nos ubique culta, Cl. XXI. Ord. VII. syst. Linn. — Fam. Juglandaeae syst. natur.

Fructus sunt drupacei, rotundi, notissimi.

Colligantur, antequam cortex interior lignescere incipit, ideoque fructus facile acu perforari possint.

Solummodo praeparationi extracti inserviunt.

## \* Nuces moschatae.

### Muscatnüsse.

*Myristica moschata* Thunb., *Myristica aromatica* Lam., arbor insularum Moluccarum, Cl. XXII. Ord. XIII. syst. Linn. — Fam. Myristiceae syst. natur.

Nuclei sunt siccati, globosi, pollicem  $\frac{1}{2}$  ad 1 magni, pulvere albo passim adpersi, flavido-fusci; venoso-reticulati, apice umbilicati, ponderosi, duriusculi, intus subfusco-albidi, venis et striis croceis brunneisque variegati, unctuosi, saporis et odoris aromatici, peculiaris.

Nuces leves, mucidas vel ab insectis corrosas, sicut nuces oblongas vel majores ne emas.

## \* Nuces vomicae.

### Krähenaugen. Brechnüsse.

*Strychnos Nux vomica* Linn., arbor Ceylanica et Malabarica, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Strychneae (Apocynae) syst. natur.

Semina orbicularia, tres quadrantes pollicis fere lata, utrinque compresso-plana, uno latere intorta, umbilicata, lineam ad duas crassa; epidermide cinerea, coriacea,



tomento tenui adpresso flavo-brunneo, sericeo-nitente, intus e nigro fusca; nucleo albo, duro, tenaci; saporis peramari.

Serva caute.

Rasuram vel pulverem venalem pro usu pharmaceutico ne emas. Nuces fuscae vel mucidae rejiciantur.

### Olea aetherea.

Olea aetherea destillata parantur e diversis plantarum partibus, Herbae, Summitates, Flores et Radices adhibentur, et recentes, et modice siccatae ac concisae; Semina, Cortices et Fructus contunduntur, omnia vero destillantur cum majore vel minore quantitate Aquae communis, ratione habita voluminis vegetabilium adhibitorum.

Destillatio fiat e vesica cuprea, stanno intus obducta, et alembico munita, una cum canali refrigeratorio e stanno puro confecto, sub continua Aquae ebullitione. Dimidia parte vel duobus trientibus Aquae adhibitae, nunc oleum aethereum continentis, in excipulum transactis, cesset destillatio, et oleum aethereum secundum artem separetur. Aqua destillata, oleo saturata, cum nova vegetabilis adhibiti copia, addita Aquae communis quantitate sufficiente, denuo destilletur, et oleum depleatur. Haec agendi ratio repetatur, donec olei desideratam quantitatem obtinueris.

Ad separanda olea, Aqua leviora, excipulum cum collo angusto adhibe, e quo ope siphonis e vitro confecti, vel filorum gossypiorum, quorum altera extrema pars in oleum, altera in lagenulam, excipuli collo appensam, demergit, exhaurienda sunt; olea vero Aqua graviora infundibulo vitreo sejungas.

Serva olea aetherea in vitris, obturaculo vitreo probe claudendis, in loco frigidiori obscuro.

Sint, etiam refrigerata, non spissa, paucis exceptis, quae temperatura, frigus glaciale parum superante, coeunt; nec lucis nec aëris accessu mutata vel inspissata; ebulliendo diffugiant; charta illita et evaporata maculas adiposas in illa ne relinquunt; in Spiritu Vini rectificatissimo et aliis oleis destillatis facillime solvantur; in Aqua, etsi difficulter et parum solvantur, tamen aliquid sui odoris et saporis illi tribuant, eam vero ne lacteam reddant; a Cupro libera sint, inde cum Aqua et guttulis aliquot Acidi nitrici conquassata, dein separata, simul Aqua acidula cum Ammoniaco neutralisata, addito Liquore Kalii ferrocyanati flavi, praecipitatum rutilum brunneum ne exhibeant.

Non licet e brodio extractum parare.

## Oleum Absinthii.

**Wermuthöl.**

*Oleum Absinthii destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e Summitatibus Absinthii recentibus, modice siccatis.

Sit coloris e fusco viridis, lucis influxu in fuscum se mutantis; spissiusculum; ponderis specifici 0,90 ad 0,94 = 19° ad 11° Ar. Bk. Aq. lev.; saporis aromatico-amari, fastidiosi.

## Oleum Amygdalarum amararum aethereum.

**Aetherisches Bittermandel-Oel.**

*Oleum Amygdalarum aethereum. Oleum Amygdalarum amararum destillatum.*

*Rp.* Amygdalarum amararum quantum placet.

Contusis oleum pingue calore non adhibito exprime, dein placentas pulveratas cum Aqua frigida in pulvem liquidam redige, quam per noctem frigide macerandam sepones. Liquidum multiforme, odoris fortissimi Olei Amygdalarum amararum aetherei, tum vesicae destillatoriae immitatur, in quam antea Aquae sextuplum



infunderis, et ad temperaturam 70° R. calefeceris. Tunc alembico citissime ac optime clauso, instituat sub continuata Aquae ebullitione destillatio, quam diu Aqua oleo gravida prodit.

Etiam parare potes, miscendo Amygdalas modo dicto in pulvem redactas, cum Aquae quintuplo in vase destillatorio, in quod statim Aquae vapores ex alio vase immittantur, et tam celeriter destillando quam fieri potest.

Oleum obtentum, in fundo lagenae subsidens, statim caute separetur.

Serva cautissime in loco obscuro.

Sit limpidum, subflavum; ponderis specifici 1,043 usque ad 1,060 = 7 ad 9° Ar. Bk. Aq. grav.; odoris proprii.

### \* Oleum Amygdalarum dulcium.

*Süss - Mandelöl.*

*Rp.* Amygdalarum dulcium, non rancidarum, quantum vis.

Ope lintei crassioris deterge pulverem iis adhaerentem. Tunc contusas et sacco cilicino aut cannabino inclusas prelo ferreo, parum tepefacto, sensim exprime.

Operationem placenta pulverata repeta. Oleum per quietem defaecatum per chartam bibulam filtra.

Serva in vasis obturatis in loco frigido.

Sit limpidum, subflavescent, perspicuum, pingue-fluidum; ponderis specifici 0,9135 = 16° Ar. Bk. Aq. lev.; odore ac sapore Amygdalarum dulcium, non rancido. Frigore glaciale ne concreseat. Sit in quadraginta Partibus Spiritus Vini rectificatissimi vix solubile, cum Aethere omni proportione miscendum.

### Oleum animale aethereum.

*Aetherisches Thieröl. Dippels thierisches Oel.*

*Oleum animale Dippelii. Oleum pyro-animale depuratum.*

Oleum animale foetidum e retorta, in balneo arenae collocata, calore blando destillet, quamdiu oleum tenue

transit, quod cum Aquae quadruplo mixtum iterum destillet, quamdiu coloris expers, aut paululum subflavum apparet. Ab Aqua separatum servetur usui.

Serva in lagenulis vitreis Drachmas duas continentibus, penitus repletis et epistomiis clausis, in loco frigido ac obscuro.

Sit limpidum, coloris expers aut paullum subflavum, nunquam brunnescens, tenuiter fluidum, pervolatile et inflammabile; ponderis specifici 0,744 usque ad 0,750 = 58° ad 57° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris proprii balsamici, gravissimi, empyreumatici, non autem foetidi; saporis gravis, primo acris, exaestuantis, tum os refrigerantis et amari. In Aqua partim solvatur, solutione nequitam lactescente. Cum Aethere, Spiritu Vini rectificatissimo, Oleis aethereis et pinguibus facile totum misceatur.

### \* **Oleum animale foetidum.**

**Stinkendes Thier- oder Hirschhornöl.**

*Oleum Cornu Cervi foetidum.*

Oleum empyreumaticum in officinis propriis destillatione sicca e partibus animalibus obtinetur.

Est e fusco-nigrum, spissiusculum, oleosum, opacum, turbidum, odore foetidissimo; sapore acri. In tribus Partibus Spiritus Vini rectificatissimi fere totum solvatur.

Sit non nimis spissum, vel Aqua gravius, quia tale oleum vetustum, vel destillatione partibus volatilibus pro parte privatum est.

### \* **Oleum Anisi.**

**Anisöl.**

*Oleum Anisi destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e Seminibus Anisi contusis.

Sit coloris straminei; clarum; ponderis specifici 0,977 ad 0,980 = 3½° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris proprii; saporis dulcis, mitis, dein acriusculi.

\* Frigore concreseat et massam crystallinam praebet.



**Oleum Aurantiorum.****Pomeranzenöl.***Oleum Aurantiorum aethereum vel destillatum.*

Paratur destillatione e Corticibus Aurantiorum contusis.

Sit flavescens, clarum, fluidissimum; ponderis specifici 0,84 ad 0,88 = 32° ad 24° Ar. Bk. Aq. lev.; fragrans; saporis grati aromatici, non, uti vetustate corrupti, acris.

**\* Oleum Bergamottae.****Bergamottöl.**

Citrus Limetta Risso, Decand., varietas Citri Aurantii. Classis, familia, patria plantae ejusdem vide: Oleum Florum Aurantii.

E cortice fructus recentis laceratione et expressione paratur. Oleum Messinense praestat.

Est coloris flavi, sublimpidum, tenue; odoris suavis, fragrantis; saporis amaro-aromatici, acriusculi; ponderis specifici 0,87 ad 0,88 = 24° Ar. Bk. Aq. lev.

Oleum, quod Portugallicum dicunt, est vilioris pretii, nec pro usu medicinali adhibeatur.

**Oleum Cacao.****Cacao-Oel. Cacao-Butter.**

*Butyrum Cacao. Oleum concretum e Seminibus Cacao.*

Semina Cacao leniter tosta, a testis liberata et minutim confracta, subtilissime teruntur in mortario ferreo, modice calefacto, ut mos est in conficienda Chocolata; tunc sacco cannabino, densioris texturae, includuntur et prelo ferreo, moderate calefacto, exprimuntur, donec omne oleum exierit.

Oleum leni calore liquatum, auxilio infundibuli ferrei, stanno obducti, pariete duplicato instructi, cujus volumen intermedium Aqua fervida impletum sit, per chartam bibulam filtra et in capsulas affunde chartaceas, ut rigidum fiat.

Serva in vase clauso.

Sit recens coloris flaviusculo-albi; sevo vervecino paululum solidius; fractum aequabile; calore manus emolliendum; odorem et saporem seminum Cacao referens; nunquam rancidum.

### \* Oleum Cajeputi.

**Cajeputöl.**

Melaleuca Leucadendron Linn., Melaleuca Cajeputi Roxb., arbuscula Indiae orientalis, Cl. XVIII. Ord. III. syst. Linn. — Fam. Myrtaceae syst. natur.

Destillatione e ramis et foliis obtinetur.

Oleum aethereum tenuissimum, pellucidum, pervolatile, paullulum viride, vel viridi-flavesces, vel subcoeruleum; sapore et odore penetrante Cardamomi, Camphorae et Rorismarini; ponderis specifici 0,918 ad 0,927 = 24° Ar. Bk. Aq. lev.

Oleum pallidum, minus coloratum praestat.

Inest oleo Cuprum, si cum Aqua et pauxillo Acidi nitrici comixtum et peragitatum colorem viridem amittit, et liquoribus separatis, aquoso cum Ammonio neutralisato, addito Liquore Kali ferro-cyanati flavi, praecipitatum rufilo-brunneum demittit.

Oleum cum Jodo detonans rejiciatur.

### Oleum Calami.

**Kalmusöl.**

*Oleum Calami destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e Radicibus Calami concisis.

Sit e brunneo flavesces, clarum, spissiusculum; ponderis specifici 0,87 ad 0,94 = 21° ad 11° Ar. Bk. Aq. lev.; fragrantissimum; saporis amari, aromatici, subcamphorati.



\* **Oleum camphoratum.****Kampheröl.**

*Rp.* Camphorae Partem unam et dimidiam,  
Olei Provincialis Partes septem.

Solve digerendo.

Serva in vasis bene clausis et in loco frigido.

Sit limpidum, flavescens, odoris camphorati.

\* **Oleum Carvi.****Kümmelöl.**

*Oleum Carvi destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e Seminibus Carvi probe contusis.

Sit coloris pallide-flavi, lucis accessu brunnescens, clarum; ponderis specifici 0,91 ad 0,95 = 16° ad 9° Ar. Bk. Aq. lev.; perliquidum; saporis aestum in ore excitantis, longe persistentis; odoris proprii.

\* **Oleum Caryophyllorum.****Gewürznelkenöl.**

*Oleum Caryophyllorum destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e Caryophyllis contusis.

Primum coloris straminei, dein flavi, tandem rubelli fit; clarum, nondum vetustate brunnescens; spissiusculum; ponderis specifici 1,03 ad 1,06 = 5° ad 9½° Ar. Bk. Aq. grav.; fragrantissimum; saporis aromatici, proprii, urentis.

\* **Oleum Cassiae.****Chinesisches oder Cassien-Zimmtöl.**

*Oleum Cinnamomi Sinensis. Oleum Cassiae cinnamomeae destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e Cortice Cassiae grosso modo pulverisato.

Primum coloris flavescens, mox aurei; lucidum, spissiusculum; ponderis specifici 1,045 ad 1,09 = 2½° ad 14° Ar. Bk. Aq. grav.; saporis primum dulcis, dein aestum in ore excitantis, pungentis.

\* **Oleum Chamomillae.****Kamillenöl.***Oleum Chamomillae destillatum vel aethereum.*

*Rp.* Florum Chamomillae vulgaris, modice siccatorum,  
 Libras triginta,  
 Olei Citri Unciam semis,  
 Aquae communis quantitatem sufficientem.

Fiat lege artis destillatio.

Sit coloris obscure lazulini, vix perspicuum; spissum; ponderis  
 specifici 0,92 = 15° Ar. Bk. Aq. lev.; saporis aromatici, penetrantis,  
 calescentis, longe persistentis; odoris Chamomillae.

\* **Oleum Chamomillae coctum.****Gekochtes Kamillenöl.***Oleum Chamomillae infusum.*

*Rp.* Florum Chamomillae vulgaris siccatorum et in-  
 cisorum Libram dimidiam,  
 Spiritus Vini rectificatissimi Uncias tres.

Probe mixta stent in vase bene clauso per aliquot  
 horas, tunc adde:

Olei provincialis Libras duas.

Mixta coquantur in lebetæ cupreo, stanno obducto,  
 vel in patina murrhina, donec Spiritus penitus exhaluerit  
 et flores perfecte siccati sint. Oleum separa expri-  
 mendo et filtra per chartam bibulam.

Serva in vasis clausis et in loco frigido, ast nunquam ultra di-  
 midium annum.

Sit coloris viriduli, limpidum; odoris Chamomillae, non rancidi.

\* **Oleum Citri.****Citronenöl.***Oleum de Cedro.*

De planta materna vide: Cortex Citri.



Expressione e corticibus recentibus laceratis Citri medicae, praesertim in Italia et Francogallia australi obtinetur.

Est stramineo-albidum, limpidum, tenue, fragrans, saporis suavis non urentis, ponderis specifici 0,845 usque ad 0,860 = 31° usque ad 28° Ar. Bk. Aq. lev.

Sit in decem Partibus Spiritus Vini rectificatissimi solubile, et fulminet fortiter et celeriter cum Jodo.

Oleum vetustum et saporis acris removeatur.

### \* Oleum Crotonis.

#### Crotonöl.

*Rp.* Seminum Crotonis quantum vis.

Decorticata et a corruptis liberata contundantur, et ope preli sine calore adhibito exprimantur. Oleum obtentum sedimentando et filtrando depuretur.

Cave, ut faciem et oculos ab hac operatione satis procul teneas, ne oleo acerrimo inflammentur.

Serva caute.

Sit limpidum, coloris flavi vel fusco-flavescentis; saporis initio mitis, postea acerrimi, urentis, fauci diu adhaerentis. In triginta et sex Partibus Spiritus Vini rectificatissimi, facilius in Aethere solubile.

Efficacissimum hoc purgans cautissime dispensetur.

### Oleum Florum Aurantii.

#### Pomeranzenblüthöl.

#### Oleum Neroli.

Citrus Aurantium Linn., Citrus vulgaris Decand., arbor Indiae orientalis spontanea, in Europa meridionali culta, nobis in hibernaculis; Cl. XVIII. Ord. Icosandr. syst. Linn. — Fam. Aurantiaceae syst. natur.

Destillatione Florum Naphae recentium cum Aqua in Italia et Francogallia meridionali paratur.

Est limpidum, valde tenue, decolor vel coloris flavi, demum rubescentis; odoris suavissimi, saporis amariusculo-aromatici; ponderis specifici 0,82 ad 0,88 = 37° ad 24° Ar. Bk. Aq. lev. Serva in vitris bene clausis.

Oleum, quod dicunt de petits grains, e fructibus immaturis Citri Aurantii paratum, non adhibeatur.

### \* **Oleum Foeniculi.**

**Fenchelöl.**

*Oleum Foeniculi destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e Seminibus Foeniculi probe contusis.

Sit coloris flavescens; clarum; ponderis specifici 0,95 ad 0,99 = 9° ad 2° Ar. Bk. Aq. lev.; saporis dulciusculi, proprii, mitis; odoris parisi; compositum e duobus oleis, quorum unum fluidum, et Aqua solubilius volatiliusque apparet, quam alterum, quod pondere Aquam superat, et frigore in crystallos largas, albas, laminarum formam prae se ferentes, abit.

### \* **Oleum Hyoscyami coctum.**

**Gekochtes Bilsenkrautöl.**

*Oleum Hyoscyami infusum.*

Paratur ex Herba Hyoscyami concisa uti Oleum Chamomillae coctum.

Serva in loco frigido, ast nunquam ultra dimidium annum.

Sit coloris saturate viridis; sedimento expers; odoris proprii non rancidi.

### \* **Oleum Jecoris Aselli.**

**Leberthran.**

Gadus Morrhua Linn. et species aliae variae generis Gadus. Pisces Malacopterygii Subbranchiales.

Paratur e jecore Gadi et e Norvegia et Suecia ad



nos advehitur. Oleum pingue, pellucidum; coloris flavi vel aurei, Vino Madeirensi similis; odoris debilis piscini; saporis mitis; ponderis specifici 0,920 = 15° Ar. Bk. Aq. lev.

Oleum rancidum, sedimentum praebens et turbidum rejiciatur. Oleum Jecoris Aselli albissimum, insolatione paratum, et Oleum Jecoris Aselli fuscum seu empyreumaticum ex hepate assato vel putrido elicium, nunquam, nisi medico expressis verbis postulante, dispensentur.

### \* Oleum Juniperi.

**Wacholderöl.**

*Oleum Juniperi destillatum seu aethereum.*

Paratur destillatione e Baccis Juniperi maturis, recenter collectis.

Sit flavescens; fluidissimum; ponderis specifici 0,85 ad 0,87 = 33° ad 26° Ar. Bk. Aq. lev.; saporis et odoris noti; in Spiritu Vini rectificatissimo difficiliter, in absoluto vero persolubile.

### \* Oleum Juniperi venale.

Ad usum externum et veterinarium adhibendum.

Coloris flavi; spissiusculum, resinatum; odoris debilioris et saporis parisi.

### \* Oleum Lauri.

**Lorbeeröl.**

*Oleum laurinum.*

De planta materna vide: Baccae Lauri.

Paratur expressione e fructibus recentibus coctis et adfertur ex Italia.

Oleum aethereo-unguinatum, e flavo et cinereo viride, fere butyraceum, subgranulosum; odoris Baccarum Lauri insignis; saporis parisi; calore sine residuo facile liques-

cens; in Aethere totum solubile; in Spiritu Vini rectificatissimo solvendum, solutione odorem et saporem aethereo-oleosum referente, remanente oleo pingui decolore, inodoro et insipido.

### \* Oleum Lavandulae.

#### Lavendelöl.

De planta materna vide: Flores Lavandulae.

Oleum est venale, et ex herba recenti destillatione, praesertim in Francogallia, paratur.

Sit e subviridi-subflavescens, tenue, limpidum; saporis fervidi; odoris aromatici, grati; ponderis specifici 0,81 ad 0,90 = 23° usque ad 21° Ar. Bk. Aq. lev. Reactionis est acidulae, cum Jodo fulminat.

### \* Oleum Lini.

#### Leinöl.

Paratur e Seminibus Lini probe contusis uti Oleum Amygdalarum dulcium.

Serva in vasis probe clausis, in loco frigido.

Sit pallidius-flavum; ponderis specifici 0,930 ad 0,940 = 19° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris gravioris; saporis paris unguinosi; aëris attacku siccandum. Ad usum externum venale purum et rancore expers adhiberi licet.

### Oleum Lini sulphuratum.

#### Schwefelhaltiges Leinöl. Schwefelbalsam.

#### Balsamum Sulphuris.

*Rp.* Olei Lini Libram unam et dimidiam,  
Sulphuris depurati Uncias tres.

Oleo in vase figulino vitreato satis amplo fervefacto pedetentim adde Sulphur, spatula semper movendo, donec in massam homogeneam coëant.

Serva in lagena.

Sit consistentiae mellis tenuioris; coloris atro-purpurei; in Oleo Terebinthinae solubile.



**Oleum Macidis.****Muscatblüthöl. Macisöl.***Oleum Macidis destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e Macide.

Sit coloris fulvi; liquidum; ponderis specifici 0,93 usque ad 0,95 = 12° ad 9° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris Macidis, sed fortioris, grati; saporis ab initio mitis. postea acris-aromatici.

**Oleum Majoranae.****Majoranöl.***Oleum Majoranae destillatum vel aethereum.*

E tota planta florente Majoranae destillatione parandum.

Sit coloris flavescens (interdum coloris flavo-virentis vel brunneo-viduli reperiatur); facile lentescens; ponderis specifici 0,98 = 3½° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris fragrantis; saporis proprii, amariusculi, subrefrigerantis.

**Oleum Menthae crispae.****Krausemünzöl.***Oleum Menthae crispae aethereum seu destillatum.*

Paratur destillatione e planta tota florente Menthae crispae incisa.

Sit flavescens (interdum viridulum), clarum, perliquidum; ponderis specifici 0,89 ad 0,92 = 21° ad 15° Ar. Bk. Aq. lev.; fragrans; saporis proprii, amariusculi, subrefrigerantis.

**\* Oleum Menthae piperitae.****Pfeffermünzöl.***Oleum Menthae piperitae seu piperitidis, destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e planta tota incisa Menthae piperitae.

Sit coloris expers, vel pallide flavum; clarum, perliquidum; ponderis specifici 0,90 ad 0,92 = 19° usque ad 15° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris fragrantis; saporis purissimi, os refrigerantis.

### \* **Oleum Nucistae.**

**Muscatbutter. Muscatbalsam.**

*Balsamum Nucistae.*

Oleum pingue cum oleo aethereo mixtum est, quod expressione Nucum Moschatarum in India orientali paratur.

Exhibet massas oblongas vel quadrangulares consistentiae Sevi vervecini sed fragiliores, Aqua leviores, e flavo albo et rubello variegatas, fragrantis, inflammabiles.

Sit in Aethere fervente totum solubile, et solutio sit pellucida.

### \* **Oleum Olivarum commune.**

**Gemeines Baumöl.**

Decoctione cum Aqua e drupis Oleae Europaeae, arboris infra dictae, in Europa calidiore obtinetur.

Est obscure flavo-virens, vel fuscescens, odoris vilioris, magis minusve rancidi et saporis similis, subacris. Solummodo parandis medicamentis externis inserviat.

### \* **Oleum Olivarum Provinciale.**

**Provencer Baumöl.**

Olea Europaea Linn., arbor Europae meridionalis, Cl. II. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Oleaceae syst. natur.

E fructibus maturis levi expressione sine ope caloris obtinetur.



Sit diaphanum, coloris subflavescentis, facile congelans, vix odoris ullius, saporis subdulcis, mitis.

Semper ad usum internum adhibeatur.

Sit a Plumbo et Cupro liberum, ideoque Acidum nitricum dilutum, cum Oleo per aliquod temporis spatium conquassatum et ab Oleo separatum, admixta Aqua hydrosulphurata, ne brunnescat.

Oleum rancidum removeatur.

## \* Oleum Papaveris albi.

**Weiss-Mohnöl.**

Paratur uti Oleum Amygdalarum dulcium e Seminibus Papaveris probe contusis.

Serva in loco frigido in vasis probe clausis.

Sit flavescens, tandem aureum, clarum, paululum spissum; ponderis specifici 0,924 = 14° Ar. Bk. Aq. lev.; nullum fere odorem spargens; saporis grati, dulciusculi.

## \* Oleum Petrae.

**Berg- oder Steinöl.**

*Petroleum.*

Oleum bituminosum e terra vel rimis saxorum in variis terris Europae profluens. Optimum prope Baku in Persia provenit.

Est flavescens aut rubicundum, passim coeruleso-versicolor, limpidum, volatile, tenue, inflammabile, odoris penetrantis, bituminosi, saporis similis, ponderis specifici 0,847 ad 0,854 = 31° ad 29° Ar. Bk. Aq. lev.; reactionis acidulae, in Aethere, Spiritu Vini absoluto et Oleis solubile.

Cum Acido sulphurico concentrato mixtum incalescat, ceterum ne mutetur. Petroleum rubrum cum Liquore Ammoniaci caustico conquassatum, colorem ne mutet.

**Oleum Petrae depuratum.****Gereinigtes Stein- oder Bergöl.***Petroleum rectificatum. Oleum Petrae rectificatum.**Rp. Olei Petrae Partem unam,  
Aquae communis Partes sex.*

Destilla lento igne, ita ut in retorta pars olei remaneat, et separa oleum post destillationem ab Aqua simul abstracta.

Serva in vitris bene obturatis.

Sit coloris expers, odoris proprii et ponderis specifici 0,75 ad 0,80 = 55 usque ad 48° Ar. Bk. Aq. lev.

**Oleum Petroselini.****Petersilienöl.***Oleum Petroselini aethereum seu destillatum.*

Paretur destillatione e Seminibus Petroselini contusis.

Sit coloris flavescentis, ponderis specifici 1,02 ad 1,04 = 4 ad 6° Ar. Bk. Aq. grav.

**Oleum phosphoratum.****Phosphoröl.***Linimentum phosphoratum.**Rp. Phosphori Grana sex,  
Camphorae Scrupulum unum,  
Olei Amygdalarum dulcium Unciam unam.*

Phialae immitte, quam in Aquam fervidam immerge, ut Phosphorus liquetur. Tum vas agitetur, et solutione peracta, refrigeratum oleum a Phosphoro forsitan secreto caute decantetur.

Sit limpidum, fumans et Phosphorum redolens.

Paratur ex tempore.



\* **Oleum Ricini.****Ricinusöl. Castoröl.***Oleum Castoris. Oleum Palmae Christi.*

**Ricinus communis** Linn. et ejus varietates, plantae in India utraque, Africa et insula Creta fruticosae, apud nos cultae annuae. Cl. XXI. Ord. Monadelph. syst. Linn. — Fam. Euphorbiaceae, syst. natur.

Paratur e seminibus expressione in India occidentali. Est oleum unguinosum, paullum spissum; album aut subflavescens; odoris dulciusculi; saporis subacris; temperatura 0° non congelans; ponderis specifici 0,9690; in Spiritu Vini alcoholisato in omni proportione solubile.

Ne sit nimis spissum. Oleum vetustum, fuscum, saporis peracris, rancidi et in Spiritu Vini absoluto non solubile removeatur.

\* **Oleum Rosmarini.****Rosmarinöl.***Oleum Anthos.*

**Rosmarinus officinalis** Linn., frutex Orientis et Europae australis, nobis in hibernaculis, Cl. II. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Labiatae, syst. natur.

Oleum aethereum; coloris expers aut e subviridi flavum; odoris aromatici, camphoracei; ponderis specifici 0,88 usque ad 0,92 = 23° usque ad 15° Ar. Bk. Aq. lev.; Chartam exploratoriam coeruleam rufefaciens; cum Jodo partim fulminans. Paratur ex herba florente in Europa australi.

Oleum fuscum et spissiusculum removeatur.

**Oleum Rutae.****Rautenöl.***Oleum Rutae destillatum vel aethereum.*

Paratur destillatione e planta tota florente incisa  
Rutae graveolentis.

Sit coloris lucide flavi vel pallidioris viriduli; perliquidum; ponderis specifici 0,86 ad 0,90 = 27 ad 19° Ar. Bk. Aq. lev.; graveolens; saporis ingrati, acriusculi.

**Oleum Sabinæ.****Sadebaumöl.***Oleum Sabinæ aethereum seu destillatum.*

Paratur destillatione ex herba cum ramulis recentibus concisis Sabinæ.

Sit coloris pallide flavi, limpidum, perliquidum; ponderis specifici 0,89 ad 0,93 = 21 ad 13° Ar. Bk. Aq. lev.; odoris nauseosi, graveolentis; saporis parisi, amaro-acris, resinosi.

**Oleum Salviæ.****Salbeiöl.***Oleum Salviæ destillatum seu aethereum.*

Paratur destillatione e planta tota Salviæ incisa.

Sit flavescens, clarum, perliquidum; ponderis specifici 0,86 ad 0,92 = 27 ad 15° Ar. Bk. Aq. lev.; fragrans; saporis proprii aciduli, subcamphorati.

**\* Oleum Sinapis aethereum.****Senföl.***Oleum Sinapis destillatum. Oleum Sinapis.*

Paratur uti Oleum Amygdalarum amararum aethereum e Seminibus Sinapis contusis reiterata cohobatione.

Serva caute.

Sit flavescens; ponderis specifici 1,020 usque ad 1,038 = 4 ad 6° Ar. Bk. Aq. grav.; odoris penetrantis et volatilis; cutem citissime et fortiter irritans; in quingentis Partibus Aquæ et in Spiritu Vini facile solubile.



\* **Oleum Succini crudum.****Rohes Bernsteinöl.**

In officinis chemicis una cum Acido succinico destillatione Succini obtinetur.

Sit oleum paululum spissum; odoris empyreumatico-bituminosi; coloris fusci; ponderis specifici circiter 0,88 = 23<sup>o</sup> Ar. Bk. Aq. lev.

\* **Oleum Succini depuratum.****Gereinigtes Bernsteinöl.**

*Oleum Succini rectificatum. Oleum Succini aethereum.*

Paratur ex Oleo Succini crudo uti Oleum Petrae depuratum.

Serva in lagenulis parvis epistomiis vitreis munitis in loco frigido et obscuro.

Sit coloris expers seu vix flavescens, perspicuum, non spissum; ponderis specifici 0,85 ad 0,89 = 30 ad 21<sup>o</sup> Ar. Bk. Aq. lev.; odoris proprii; saporis aromatico-acris; summe volatile et inflammabile. Atmosphaerae tactu sensim colorem brunneum induit. Cum Acido nitrico fumante resinam, Moschus artificialis dictam, exhibeat.

**Oleum Tanaceti.****Rheinfarnöl.**

*Oleum Tanaceti destillatum seu aethereum.*

Paratur destillatione e Floribus recentibus et concisis Tanaceti.

Sit coloris flavescens aut viriduli; lucidum; ponderis specifici 0,92 ad 0,94 = 15 usque ad 11<sup>o</sup> Ar. Bk. Aq. lev.; saporis acris, amari.

\* **Oleum Terebinthinae.****Terpenthinöl.**

*Spiritus Terebinthinae.*

Destillatione Terebinthinae communis cum Aqua obtinetur.

Oleum aethereum est decolor, limpidum, tenue, graveolens, saporis peculiaris amari, ponderis specifici 0,86 ad 0,89 = 28° usque ad 21° Ar. Bk. Aq. lev. Cum Jodo celeriter fulminat. E Francogallia meridionali allatum praestat.

Sit perfecte volatile, et in Spiritu Vini rectificatissimo sicut in Aethere penitus solubile

Pro usu interno solummodo rectificatum adhibeatur.

### \* Oleum Terebinthinae depuratum.

**Gereinigtes Terpenthinöl.**

*Spiritus Terebinthinae rectificatus. Oleum aethereum Laricis rectificatum. Oleum Terebinthinae rectificatum.*

Paratur eadem ratione ut Oleum Petrae depuratum ex Oleo Terebinthinae nisi quod majorem copiam destillando e vesica destillatoria elicere potes. (Vide: Terebinthina cocta.)

Serva in vitris clausis.

Sit coloris expers, limpidum, ponderis specifici 0,86 ad 0,89 = 28 ad 21° Ar. Bk. Aq. lev.

### \* Oleum Terebinthinae sulphuratum.

**Schwefelhaltiges Terpenthinöl.**

*Balsamum Sulphuris terebinthinatum. Balsamum Sulphuris Rulandi.*

*Rp.* Olei Lini sulphurati Partem unam,  
Olei Terebinthinae Partes duas.

Misce.

Serva in vitro obturato.

Sit fuscum e rubro, limpidum.



**Oleum Thymi.****Thymianöl.***Oleum Thymi aethereum vel destillatum.*

Paratur destillatione e planta tota florente Thymi.

Sit coloris e rubro-flavescentis (rectificatum incolor), limpidum, perliquidum; ponderis specifici 0,87 ad 0,89 = 25 ad 21<sup>o</sup> Ar. Bk. Aq. lev.; odoris fragrantis; saporis acris, aestum oris excitantis.**\* Oleum Valerianae.****Baldrianöl.***Oleum Valerianae aethereum vel destillatum.*

Paratur destillatione e Radicibus Valerianae incisiss.

Sit coloris flavi, paululum flavescentis; lucidum; spissiusculum; ponderis specifici 0,90 ad 0,94 = 19 ad 11<sup>o</sup> Ar. Bk. Aq. lev.; graveolens; saporis amariusculli, acris, aromatici, subcamphorati, ingrati.**Olibanum.****Weihrauch.***Thus.*

*Boswellia serrata* Colebrook., arbor Arabiae felicis et Indiae orientalis, Cl. X. Ord. I. syst. Linn. —  
Fam. Burseraceae syst. natur.

Est succus e trunco stillatus et in aëre induratus.

Occurrit in granis subglobosis vel oblongis, magnitudinis pisi vel nucis Juglandis, albido-luteolis, interdum flavo-rubellis, opacis vel vix diaphanis, pulvere albo obtectis, fragilibus, siccis, fracturae opacae, aequalis, in Spiritu Vini rectificatissimo pro majori parte solubilibus. Odor est debilis, si prunis injicitur, balsamicus, sapor par, amarus et acriusculus.

Pro usu pharmaceutico semper Olibanum sic dictum electum adhibeatur.

Olibanum, Resina Pini adulteratum, est mollioris consistentiae, et, prunis injectum, odore terebinthinaceo se prodit.

\* **Opium.****Opium. Mohnsaft.***Succus Thebaicus. Meconium.*

**Papaver somniferum** Linn., planta annua in Asia minore indigena, ac ibi, in India et in Aegypto culta. Cl. XIII. Ord. I. syst. Linn. -- Fam. Papaveraceae syst. natur.

Opium venale plerumque e succo plantae totius expresso et inspissato paratur, dein cum majore vel minore quantitate succi lactei, e capsulis immaturis incisione vulneratis scaturientis, miscetur, ut indolem suam propriam, praesertim quod attinet ad odorem et saporem, acquirat. Adfertur ex Oriente et Persia, sed Opium sic dictum Levanticum, Smyrnaeum, optimum et solummodo pro usu medicinali adhibendum est. Referat placentas vel glebas variae magnitudinis, interdum foliis Papaveris obvolutas et seminibus Rumicis cujusdam adspersas, fusco-rubellas, hinc inde majus minusve subflavas, consistentiae praesertim in medio mollis et tenacis. Magis exsiccatae praebeant fracturam aequalem, opacam vel cereo-nitentem, in molliore parte pallidiorem, flavo-fuscam, et structuram e lacrymulis minutis dense compactam. Odoris est peculiaris, penetrantis, nauseosi, narcotici, saporis peracris, amari, et salivam colore flavo tingit. Pulvis est coloris subflavo-fusci.

Sit in Aqua et Spiritu Vini maxima ex parte solubile, et solutio aquosa concentrata Liquore Ammoniaci caustico valde perturbetur; Tinctura Gallarum sedimentum largius albidum efficiat.

Opium bonae indolis continet circiter 7 ad 10 % Morphii puri. Opium odoris empyreumatici et fermentatione corruptum, mucidum, nimis molle, nimis durum, fragile, fractura aequabile, unicolore, removeatur. Opium sic dictum Persicum, Aegyptiacum et Indicum fuscum, nec non fere inodorum nunquam in usum trahatur.

Caute serva.



\* **Opodeldoc.****Opodeldoc.**

*Balsamum Opodeldoc. Linimentum saponato-camphoratum.*

*Rp.* Saponis sebacini albi Uncias duas cum dimidia,  
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias viginti,  
Aquae destillatae Uncias duas,  
Camphorae tritae Drachmas tres.

In cucurbitam, vesica tectam, immissa calefiant in balneo aquae et soluta adhuc calentia filtrentur.

Tum adde:

Olei Thymi Drachmam unam,  
„ Rorismarini Drachmam unam semisque,  
Liquoris Ammoniaci caustici Unciam dimidiam.

Liquor, si necesse, in vase bene clauso iterum calefactus, statim affundatur in vitra Unciam unam vel Uncias duas continentia, quae bene clausa in Aqua frigida quam citissime refrigerentur.

Serva in loco frigido.

Gelatinam flavescensentem referat, subdiaphanam et opalescentem, aequabilem, calore cutis humanae facile liquabilem, odore remediorum insignem.

**Opodeldoc liquidus.****Flüssiger Opodeldoc.**

*Rp.* Saponis Hispanici Uncias duas et dimidiam,  
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias viginti,  
Aquae destillatae Uncias duas,  
Camphorae tritae Drachmas tres.

In vitro, vesica tecto, leni calore solutis, adde:

Olei Thymi Drachmam unam,  
„ Rorismarini Drachmam unam semisque,  
Liquoris Ammoniaci caustici Unciam dimidiam.

Misce et filtra post refrigerationem.

Serva in vitro probe clauso, in loco frigido.

Sit limpidus; coloris Vini albi; odoris Opodeldœe gelatinosi.

## Ovum.

Ei.

Phasianus Gallus, avis domestica. Cl. II. Ord.  
Gallinae.

Albumen. Eiweiß.

Vitellus. Eigelb.

Substantiae sunt cuique notissimae.

Ova sint incorrupta, odoris et saporis alieni et putridi expertia.

## \* Oxalium.

Kleesalz. Saures kleesaures Kali.

Sal Acetosellae. Kali oxalicum acidum.

Antea e succo expresso et clarificato nonnullarum specierum Oxalidis et Rumicis crystallisatione paratum est, nunc in officinis chemicis saturatione Kali carbonici depurati cum Acido oxalico obtinetur.

Occurrit in crystallis decoloribus, subdiaphanis, oblique rhombicis, in aëre persistentibus; est saporis peracidi et subausteri; in Aqua haud nimis facile, sicuti in Spiritu Vini rectificatissimo solubile.

Sal purus igne facile fundatur, vapores empyreumaticos non mittens, et residuum ejus non sit griseum, minime nigrum, carbonosum. Solutio vix ulla vestigia Kali sulphurici et Kalii chlorati praebeat.

## \* Oxymel Aeruginis.

Grünspan-Sauerhonig.

Linimentum Aeruginis.

Rp. Aeruginis pulveratae Unciam unam.



Coque cum:

Aceti crudi Unciis quatuor,

Mellis depurati Unciis octo ad mellis consistentiam.

Serva in vasis murrhinis, bene clausis.

Sit lucide e purpureo-brunneum; odoris acetici, melliti, metallici, ingrati; saporis paris cuprei, nauseosi.

Oxymel Aeruginis, quod diutius asservatum nimiam Cupri oxydulati copiam demisit, rejice.

### \* Oxymel Scillae.

**Meerzwiebel-Sauerhonig.**

*Rp.* Radicis Scillae concisae Uncias quatuor cum dimidia,

Aceti crudi Libras duas.

Macera per dies sex in vitro clauso leni calore, cola filtraque. Aceto scillitico obtento adde:

Mellis depurati Libras octo

et evapora in lebetes stanneo ad syrupi consistentiam, tunc cola per pannum laneum.

Serva in vitro obturato et in loco frigido.

Sit Melle depurato rubicundius; limpidus; ponderis specifici circiter 1,300 = 39 ad 40° Ar. Bk. Aq. grav.; odore acidulo et sapore melleo, acetico, valde amaro, subacri.

### \* Oxymel simplex.

**Sauerhonig.**

*Rp.* Aceti crudi Partem unam,

Mellis depurati Partes quatuor.

Mixta evaporent in lebetes stanneo ad syrupi consistentiam, tunc colentur per manicam e panno confectam.

Serva in vitro et in loco frigido

Sit lucide brunneum; ponderis specifici 1,300 = 39 ad 40° Ar. Bk. Aq. grav.; saporis odorisque mellei, acetici.

**Pasta Althaeae.****Altheeteig. Eibisch-Lederzucker.***Pasta gummosa.**Rp.* Radicis Althaeae concisae Unciam unam.

Ebulliat in:

Aquae communis sufficiente quantitate, ut colatura Librarum duarum supersit.

In colatura dissolve:

Gummi Arabici purissimi,

Sacchari albissimi, singulorum Libram unam,

et quidem quodlibet seorsim; colentur et solutio leni igne ad extracti consistentiam, continuo spatula lignea eam movendo, redigatur. Tunc massa ab igne remota agitetur assidue et celeriter, donec albescat, subinde admisce:

Albumina Ovorum duodecim,  
tundendo in spumam conversa.

Inspissetur, leni calore evaporando, sub perpetua agitatione, ad justam consistentiam, tum immisceantur:

Elaeosacchari Florum Aurantii Scrupuli quinque, dein effundatur in capsulas chartaceas et leni calore siccetur. Pasta siccata a charta, antea madefacta, liberetur et iterum siccata ac in taleolas pollicis unius latas scissa, servetur usui.

Serva in loco sicco.

Sit candida, levis, fragilis, calore manus flexilis; odoris Florum Aurantii ac Althaeae debilis; saporis paris, dulcis, gummosi.

**\* Pasta Cacao.****Gesundheits-Chocolade.***Chocolata medica.**Rp.* Nucleorum Cacao, leviter tostorum et decorticatorum, quantum placet.



In mortario ferreo calefacto terantur, donec in massam semifluidam, unguento similem, redacti sint, quae in tabulas Unciarum quatuor et duarum lege artis effundatur.

Serva in charta velata.

## **Pasta Cacao cum Hordeo praeparato.**

**Gersten-Chocolade.**

*Rp.* Pastae Cacao Partes duas,

Farinae Hordei praeparatae Partem unam.

Tere in mortario ferreo calefacto donec in massam homogeneam redactae sint, quae ad tabulas Unciarum quatuor et duarum lege artis formetur.

Serva in charta velata.

## **Pasta Cacao cum Lichene Islandico.**

**Isländisch Moos-Chocolade.**

*Rp.* Pastae Cacao Libras sex.

Modico calore in mortario ferreo liquefactis adde:

Pulveris Sacchari albi Libras sex,

Pulveris subtilissimi Lichenis Islandici Libram unam,

„ „ Radicis Salep Uncias duas.

Massa probe mixta ad tabulas Unciarum quatuor et duarum formetur.

Serva in charta velata.

## **Pasta Liquiritiae.**

**Süßholz-Lederzucker. Brauner Lederzucker.**

**Reglise.**

*Pasta Glycyrrhizae.*

*Rp.* Radicis Liquiritiae decorticatae, concisae, Uncias quatuor.

Macera per noctem in:

Aquae communis frigidae Libris octo.

In infuso colato seorsum solvantur:

Gummi Arabici purissimi Librae duae cum dimidia,  
Sacchari albi Libra una cum dimidia.

Stent per duodecim horas, iterumque colata leni igne, sine agitatione, empyreumate caute evitato, evaporent, interea membrana de superficie nonnunquam detrahitur, donec gutta, disco vitreo frigido instillata, gelatinae spissae instar appareat. Tunc, detracta membrana, effunde in cistulas planas e laminis ferreis, stanno obductis paratas, et paululo Olei Amygdalarum dulcium inunctas. Pastae modico calore satis exsiccatae ac in taleolas latitudine trium quadrantium pollicis scissae induc ope penicilli mollis Mucilaginem Gummi Arabici concentratam, iterumque exsicca.

Serva in vasis clausis et in loco sicco.

Quoad colorem vino albo vetusto similis sit et pellucida, tenax, elastica, fere inodora, neququam odoris rancidi, ab empyreumate libera, saporis dulcis gummosi.

## \* Phosphorus.

### Phosphor.

Paratur in officinis chemicis calcinatione miscelae Calcariae phosphoricae acidae et Carbonis pulverisati in retortis murrhinis. Substantia est in bacillos formata, compacta, lenta, alba vel vix subflavescens, recens alba, et cerae instar splendida, subpellucida, tum superficie opaca, ponderis specifici = 1,770, loco obscuro lucens, aëri exposita fumum odoris alliacei spargens, calore 28 ad 29° R. (35 ad 37° C.) liquescens, 57 ad 60° R. (72 ad 75° C.) inflammabilis. In vasis clausis usque ad 240° R. (300° C.) exaestuata sublimatur.



In Spiritu Vini et Aethere parum, in Oleis omnino,  
in Aqua non solubilis est.

Phosphorus, ad usum pharmaceuticum adhibendus, ab omni vestigio  
Arsenici liber sit, quod facile modo cognito in solutione nitrica ope  
Gasis hydrothionici exploratur. Servetur cautissime, Aqua super-  
fusus, in vitro, vasi e ferreo laminato immisso.

## Pilulae odontalgicae.

### Zahnschmerzlindernde Pillen.

*Rp.* Extracti Belladonnae,  
    „ Hyoscyami,  
    Opii pulverati, singulorum Grana decem,  
    Olei Caryophyllorum Guttas viginti,  
    Radici Pyrethri pulveratae Drachmam dimidiam  
aut quantum sufficit ad massam pilularum parandam,  
e qua formentur pilulae Grani unius, Pulvere Caryo-  
phyllorum conspergendae.

Serva caute in vase bene clauso usui vel para ex tempore.

## \* Pilulae purgantes.

### Laxier-Pillen.

*Loco Pilularum Resinae Jalapae, Pilularum mercu-  
rialium et Pilularum Jalapae.*

*Rp.* Saponis jalapini Partes octo,  
    Hydrargyri chlorati mitis Partem unam,  
    Tincturae Corticum Aurantium sufficientem  
    quantitatem.

Fiat massa pilularum exactissime mixta et talis con-  
sistentiae, ut pilulae ex ea formatae formam suam  
retineant, etsi digito prementi paulo cedant. Formentur  
ope instrumenti ad pilularum confectionem apti, singulae  
ponderis Granorum duorum.

Serva in vase clauso.

Sint massae aequabilis; consistentiae dictae; coloris brunneo-flavi; odoris ac saporis nauseosi Jalapae insignis.

Octodecim pilulae purgantes continent Resinae Jalapae Grana sedecim et Hydrargyri chlorati mitis Grana quatuor.

### \* Piper album.

**Weisser Pfeffer.**

*Piper nigrum* Linn., frutex scandens Indiae orientalis, Cl. II. Ord. III. syst. Linn. — Fam. Piperaceae syst. natur.

Semina sunt matura, exigua, globosa, grani fere unius pondus exaequantia, glabra, albida, solida, epidermide acriori privata; odoris levis, subaromatici; saporis acris, urentis, aromatici.

### \* Piper nigrum.

**Schwarzer Pfeffer.**

De planta materna vide: *Piper album*.

Semina sunt immatura, siccata, dura, pisi minoris forma et magnitudine, rugosa, nigro-fusca, intus albida; odoris aromatici; saporis acerrimi, aromatici.

### \* Pix liquida.

**Theer.**

*Resina empyreumatica liquida.*

Destillatione sicca per descensum e ligno ramorum, trunci et radicis Pinorum variorum obtinetur.

Liquor est oleosus, spissus, brunneo-fuscus, subdiaphanus; Aqua gravior, facile combustibilis; odoris ingrati, foetidi, empyreumatici; saporis paris.

Cave, ne Pice Lithanthracis inquinata sit.



\* **Pix solida.****Schwarzes oder Schiffspech.***Pix navalis. Resina empyreumatica solida.*

Destillatione vel evaporatione Picis liquidae obtinetur.

Massa est solida vel sicca, resinosa, nigra, ad angulos subdiaphana, splendoris vitrei, frigore fragilis, calore manus emolliens, tenax, odoris et saporis peculiaris, resinosi.

\* **Plumbum aceticum crudum.****Essigsaures Bleioxyd. Bleizucker.***Saccharum Saturni.*

Praeparatum officinarum chemicarum, e Cerussa et Aceto puro obtentum. Crystalli sunt decolores vel subflavescentes, aciculares, saepius cohaerentes, compressae, fatiscentes, nitentes, subdiaphanae, in Aqua et Spiritu Vini solubiles, saporis primum dulciusculi, dein austeri, metallici. Solutio Laccam musicam parum rufefacit. Calore leniore liquescunt, fortiore decomponuntur.

Serva in vasis clausis et caute.

Solutio aquosa, ope Acidi sulphurici diluti praecipitata, et a sedimento defiltrata, admixto Liquore Kalii ferro-cyanati flavi colore brunneo ne praecipitetur.

\* **Plumbum aceticum depuratum.****Gereinigtes Essigsaures Bleioxyd. Gereinigter Bleizucker.***Saccharum Saturni depuratum.**Rp.* Plumbi acetici venalis Uncias sex.

Solve in patina porcellanea, orificio instructa, in:

Aquae destillatae fervidae Libra una,

et adde:

Aceti puri Unciam unam.

Fluidum filtratum evapora in balneo aquae usque ad punctum crystallisationis. Crystallos abluere et sicca.

Serva caute in vitro bene clauso.

Qualitates physicae et chemicae sunt in descriptione Plumbi acetici crudi dictae.

Sit perfecte, saltem additis nonnullis guttulis Acidi acetici, in Aqua solubile. Solutione, admixto Acido sulphurico diluto praecipitata, fluidum, a praecipitato defiltratum, Liquore Kalij ferro-cyanati flavi ne brunnescat.

### Plumbum tannicum.

**Gerbesaures Bleioxyd. Umschlag gegen das Durchliegen. Autenrieth's Durchliegsalbe.**

*Cataplasma ad decubitus. Unguentum ad decubitus Autenriethii.*

*Rp.* Corticis Quercus incisae Uncias duas.

Coque cum:

Aquae communis sufficiente quantitate, ut Unciarum octo colatura supersit. Decocto filtrato admisce agitans:

Aceti Lithargyri Unciam semis.

Fluidio defiltrato immitte sedimentum Aqua ablutum et adhuc humidum, quod consistentiae linimenti spissioris est, in ollam et admisce:

Spiritus Vini rectificatissimi Drachmas duas.

Praepara semper ex tempore.

### Poma acidula.

**Saure Aepfel.**

*Pyrus Malus* Linn., arbor Europae notissima, Cl. XII. Ord. V. syst. Linn. — Fam. Pomaceae syst. natur.

Fructus notissimi.

Fructus seminaturs recentis inserviunt solummodo ad praeparandum Extractum Ferri pomatum.



**Potio temperans.****Niederschlagender Trank.***Loco Potionis Riverii.*

*Rp.* Kali carbonici puri Drachmam unam,  
Aceti crudi Uncias duas, vel quantum sufficit ad  
saturationem.

Ex tempore paranda.

**\* Pulpa Tamarindorum.****Tamarindenmark.**

*Rp.* Tamarindorum quantum vis.

Macera in:

Aquae communis fervidae triplo pondere, interdum  
agitando, donec aequabiliter emolliti fuerint.

Tum per cribrum setaceum spatulae lignae ope  
trajice. Pulvem liquidam inde obtentam in vasis por-  
cellaneis, evaporatione in balneo aquae vel vaporum,  
assidue agitando ad mellis consistentiam redige. Tunc  
unicuique Librae adde:

Sacchari albi pulverati Uncias duas,  
et fiat, evaporatione continuata, electuarium spissum.

Serva in vase murrhino, in loco frigido sicco.

Sit nigro-brunnea, splendens; saporis acidi amoeni. Cum Aqua  
bulliente diluta, immisso Ferro polito, Cuprum ne prodatur.

**Pulvis aërophorus.****Brausepulver.**

*Rp.* Natri bicarbonici Drachmas quatuor,  
Acidi tartarici Drachmas tres,  
Sacchari albi Drachmas septem.

Seorsim in pulverem subtilissimum redacta et leni  
calore perfecte exsiccata misceantur.

Serva in vitris bene clausis vel para ex tempore.  
 Sit siccissimus; in Aqua solutus fortiter effervescens; Acido tartarico praevalente non insignis.

### **Pulvis alterans Plummeri.**

**Plummer's blutreinigendes Pulver.**

*Rp.* Hydrargyri chlorati mitis,  
 Stibii sulphurati aurantiaci, singulorum Partes  
 aequales.

Misce exactissime.

Paratur ex tempore.

### **Pulvis anodynus pro infantibus.**

**Schmerzstillendes Pulver für Kinder. Windpulver.**

*Pulvis infantum anodynus. Pulvis puerorum citrinus.*  
*Pulvis carminativus.*

*Rp.* Magnesiae carbonicae Drachmas sex,  
 Pulveris Radicis Iridis Florentinae,  
 „ Seminis Anisi vulgaris,  
 „ Sacchari albi, singulorum Drachmas duas,  
 „ Croci Scrupulum unum.

Misce fiat pulvis.

Serva in vase clauso.

### **Pulvis aromaticus.**

**Gewürzpulver.**

*Rp.* Pulveris Corticis Cassiae Partes duas,  
 „ Seminis Cardamomi minoris,  
 „ Radicis Zingiberis,  
 „ Piperis albi, singulorum Partem unam.

Misce exactissime.

Serva in vitro bene obturato aut para ex tempore.



**Pulvis gummosus.****Gummihaltiges Pulver.***Loco Specierum seu Pulveris diatragacanthae.*

- Rp.* Pulveris Gummi Arabici Partes tres,  
 „ Radicis Liquiritiae Partem unam,  
 „ Sacchari albi Partes duas.

Misce fiat pulvis.

Serva in vase clauso aut para ex tempore.

**Pulvis Ipecacuanhae opiatuſ.****Brechwurzpulver mit Mohnsaft. Doversches Pulver.***Loco Pulveris anodyni Doveri.*

- Rp.* Pulveris Opii,  
 „ Radicis Ipecacuanhae, singulorum Partem  
 unam,  
 „ Sacchari albi Partes octo.

Misce exactissime.

Serva in vitro bene obturato.

Pulveris hujus Grana decem contineant Opii Granum unum.

**Pulvis Liquiritiae crocatae.****Safranhaltiges Süſſholzpulver.***Pulvis Liquiritiae coctae.*

- Rp.* Pulveris Radicis Liquiritiae Unciam unam,  
 „ „ Iridis Florentinae,  
 „ Amyli, singulorum Unciam dimidiam,  
 „ Croci Scrupulum unum,  
 „ Gummi Tragacanthae Drachmam unam  
 et semis,  
 „ Sacchari albi Libram unam.

Misce fiat pulvis.

Bacilli *Liquiritiae crocatae* (*Liquiritia cocta*) fermentur ope sufficientis quantitatis *Aquae communis* et exsiccando. Sint ponderis *Drachmarum duarum*.

### Pulvis pectoralis.

**Brustpulver. Zusammengesetztes Süßholzpulver.**

*Pulvis Liquiritiae compositus. Pulvis Glycyrrhizae compositus.*

*Rp.* Pulveris Radicis *Liquiritiae*,  
 „ Foliorum *Sennae*, singulorum Partes duas,  
 „ Seminis *Foeniculi*,  
 Sulphuris depurati, singulorum Partem unam,  
 Pulveris Sacchari albi Partes sex.

Misce fiat pulvis.

Serva in vitro clauso aut para ex tempore.

### Pulvis sternutatorius albus.

**Weisses Niespulver. Schneeberger Schnupftabak.**

*Rp.* Pulveris *Oryzae* Uncias tres,  
 „ Radicis *Hellebori albi* Unciam semis,  
 „ „ *Iridis Florentinae* Drachmas duas,  
 Balsami vitae *Hoffmanni* Guttas quadraginta.

Misce fiat pulvis.

Serva in vase clauso aut para ex tempore.

### Pulvis sternutatorius viridis.

**Grünes Schnupfpulver oder Niespulver.**

*Rp.* Pulveris *Herbae Majoranae* Partes tres,  
 „ „ *Mari veri*,  
 „ *Florum Convallariae majalis*,



**Pulveris Radicis Iridis Florentinae, singulorum**  
Partem unam.

Misce fiat pulvis.

Serva in vitro clauso, aut para ex tempore.

### **Pulvis strumalis.**

**Kropfpulver.**

*Rp.* Carbonis Spongiae Partes tres,  
Sacchari albi Partem unam.

Misce fiat pulvis subtilissimus.

Para ex tempore.

### **Pulvis stypticus.**

**Blutstillendes Pulver.**

*Rp.* Pulveris Gummi Arabici,  
„ Colophonii,  
„ Aluminis depurati, singulorum Partes  
aequales.

Misce.

Para ex tempore.

### **Pulvis temperans.**

**Niederschlagendes Pulver.**

*Pulvis antispasmodicus albus.*

*Rp.* Kali sulphurici depurati,  
Kali nitrici depurati, singulorum Partes aequales.

Misce fiat pulvis.

Serva usui aut para ex tempore.

### **\* Radix Alcannae (spuriae).**

**Alkannawurzel.**

*Anchusa tinctoria* Desfont., *Baphorrhiza*

tinctoria Link, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Boragineae (Asperifolieae) syst. natur.

Planta perennis Orientis et Europae meridionalis, quae etiam in Francogallia et Hungaria colitur. Radix est inodora, subcylindrica, subramosa, rugosa, tenuis, longitudinaliter sulcata, calami scriptorii vel digiti crassitie, epidermide nigrescente, intus obscuro-rubra, lignum est crassum et pallidius. Sapore gaudet subaustero, mucoso, dulciusculo. Salivam colore rubro, Spiritum Vini, Olea et Cerata colore purpureo imbuunt.

Radix Anchusae officinalis, interdum fraudulentur substituta, facillime detegi potest, quia olea pingua, cum radice dicta digesta, non colore purpureo tinguntur.

### \* Radix Althaeae.

**Altheewurzel. Elbischwurzel.**

De planta materna vide: Herba Althaeae.

Radix est scapum versus ramosa, levis, intus alba, carnosa, epidermide flavo-fuscescente; fere inodora; saporis dulciusculi, fatui, mucilaginosi et masticata salivam mucilagine imbuunt. Rami sunt e rhizomate prodeuntes, parum tenaces, longi, simplices, teretes, crassitie pennae anserinae vel digiti.

Plerumque epidermide resecta venalis occurrit et eo melior, quo albidior est. Radix nimis tenax vel corrosa rejicienda. Cum Tinctura Jodinae humefacta colorem coeruleum assumit.

Radix Althaeae roseae, interdum fraudulentur substituta, est coloris in griseum magis vergentis et texturae multo fibrosioris.

### \* Radix Angelicae.

**Angelikawurzel. Engelwurzel.**

Angelica Archangelica Linn., planta subalpina Europae borealis et meridionalis, etiam in planis humidis crescens. Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.



Radix quoque biennis plantae in hortis cultae adhiberi potest. Est fusiformis, rhizomate subspongioso, crasso, carnoso, ad duos pollices longo; radiculis densis, sex pollices longis, duas usque tres lineas $\frac{1}{2}$  latis, [sulcatis, extus griseo-fuscis, intus albidis, quae utriculos numerosos, flavos continent.

Succo lacteo turget, qui attactu aëris colorem flavum assumit, odoris penetrantis, saporis primum dulciusculi, tum acris aromatici est.

Servanda est in cista e ferro laminato, stanno obducto.

Sit perfecte sicca nec insectis corrosa.

Radix Angelicae sylvestris, quae interdum pro radice vera venalis occurrit, est minor, saporis et odoris debilioris, magis dulciusculi et minus aromatici, praeterea sectione transversali facile dignoscenda.

### \* Radix Arnicae.

**Arnikawurzel. Wohlverleihwurzel.**

De planta materna vide: Flores Arnicae.

Radix (rhizoma) est flexuosa, simplex, teres, duos ad tres pollices longa, vix pennam anserinam crassa, rugosa et verrucosa a rudimentis vaginarum, dura, e fusco-nigra, intus albida, et radículas plerumque in altero tantum latere emittens, longas, tenues, duras et fragiles. Est odoris acris, ingrati, nares vellicantis, saporis amariuscule, mordentis, subacris.

Serva in cistulis e ferro, stanno obducto, confectis.

Radices Solidaginis Virgae aureae, nonnullarum specierum Hieracii et Inulae, interdum substitutae, minime odore forti Arnicae verae delectant.

### Radix Artemisiae.

**Gemeine Beifusswurzel.**

Artemisia vulgaris Linn., planta perennis, fere

in tota Europa frequens, Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn.  
— Fam. Compositae (Artemisiaceae) syst. natur.

Rhizoma subcylindricum, pennam anserinam usque ad digitum crassum, 2 ad 3 pollices longum, ubicunque radiculis ramosis, longis, simplicibus, flexuosis, e griseo subfuscis, densis, obsessum.

Recens est griseo-fuscum, siccatum extus griseo-brunneum, intus album. Odore peculiari gravi, sapore dulciusculo, irritante, taedioso, acri gaudet.

Radix tempore verno effodienda, et remotis partibus putridis corruptisque sine ablutione leni calore celeriter siccanda, tum in vasis bene clausis nec ultra annum servanda est.

Pulvis statim e radice recenti siccata parandus, et in vitris servandus est.

### \* Radix Asari.

#### Haselwurz.

Asarum Europaeum Linn., planta perennis Germaniae, Cl. XI. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Aristolochiae syst. natur.

Radix repens, tenuis, quadrangularis, subgeniculata, dentata, fibrosissima, epidermide e cinereo-fusca, substantia interna albida, odoris Camphorae subsimilis, saporis acriusculi, aromatici.

Planta tota tantummodo usui veterinario inservit.

### Radix Bardanae.

#### Klettenwurz.

Arctium Lappa Linn. (et ejus varietates: Arctium Bardana, tomentosa, major et minor) Arctium Lappa et Bardana Willd., Lappa major et tomentosa Decand., plantae biennes in sepibus Germaniae frequentes, Cl. XIX. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Compositae (Cynareae) syst. natur.



Radix est descendens, longa, subcylindriaca, sub-simplex, longitudinaliter rugosa, digitum circiter crassa, interdum pedem longa, fibrillas parcas emittens.

Cortex extus nigrescens, intus albidus vel flavescens, lignum flavescens, in radice recenti carnosum, in siccata squamosum, odoris debilis, haud grati, saporis dulciusculi, acris.

Facile mucescit.

Radix secundo aetatis anno effodiatur.

### \* Radix Belladonnae.

**Belladonnawurzel.**

*Radix Atropae.*

De planta materna vide: Herba Belladonnae.

Radix est longa, ponderosa, crassa, ramoso-fibrosa, cylindrico-fusifformis, unum usque duos pollices crassa, longitudinaliter striata, rugosa; cortex est intus et extus flavescens; lignum flavescens paucis poris distinctum, medulla fere carens.

Plerumque per longitudinem dissecta venalis occurrit. Est inodora et saporis fatui, dulciusculi, nauseosi, acrisculi.

Radix biennis est colligenda.

Radix nigrescens, tenax, nec facile frangenda, mucida, ab insectis corrosa rejiciatur.

Infusum admixta Tinctura Gallarum valde perturbatur.

Serva caute in vasis bene clausis.

### \* Radix Calami.

**Kalmuswurzel.**

*Radix Calami aromatici.*

Acorus Calamus Linn., planta perennis palustris Germaniae, Cl. VI. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Acorinae (Aroideae) syst. natur.

Radix (rhizoma) est cylindrica, subcompressa, longa, repens, unum vel duos pollices crassa, geniculata, propter radículas abscissas verrucosa, extus viridescens vel rubella, intus alba, spongiosa. Odore gaudet grato, peculiari, penetrante, sapore aromatico, amaro.

Plerumque fissa venalis occurrit. Radix Iridis Pseudacori, quae interdum substituitur, est intus rubella, et saporis valde adstringentis sed non aromatici.

Radix Calami non decorticanda est, quia in cortice particulae efficacissimae continentur.

### \* Radix Caricis arenariae.

**Sandriedgraswurzel. Deutsche Sarsaparille.**

Carex arenaria Linn., planta perennis, praesertim in arena mobili Germaniae borealis, Cl. XXI. Ord. III. syst. Linn. — Fam. Cyperaceae syst. natur.

Radix (potius caudex subterraneus) est perlonga, repens, vix pennam anserinam crassa, teres, articulata, tenax, extus sordide et pallide grisea, squamis vaginantibus, elongatis, badiis obsessa; transversim secta apparet pars corticalis subfusca cum parte centrali albida, porosa, oribus fuscis vasorum fistulosorum cincta. Radix est saporis mucilaginosi, farinosi, dulciusculi, subirritantis, recens odoris subterebinthinacei, siccata vix ullius odoris.

Ne confundatur cum radice Caricis hirtae et Caricis intermediae. Carex hirta transversim secta ostendit stratum periphericum albido-farinosum, annulo fusco a parte centrali ochroleuca separatum; Carex intermedia transversim secta praebet in strato peripherico albo lineam brunneam orbiculatam.

Radices recentes Caricis hirtae et intermediae odore carent et insipidae sunt.

### \* Radix Carlinae.

**Eberwurz.**

Carlina acaulis Linn., planta perennis montana



Germaniae, Cl. XIX. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Compositae syst. natur.

Radix cylindrica, ramosa, digitum et amplius crassa, rugosa, tuberculata, e tuberculis fibras agens, fragilis, extus cinereo-fusca, intus lucido-flava, compactor, medulla annulo fusco cincta, radiata. Odoris est peculiaris, saporis subservidi, acris.

Usui veterinario inservit.

### \* Radix Caryophyllatae.

**Nelkenwurzel.**

*Geum urbanum* Linn., planta perennis, in sylvis et locis umbrosis Germaniae, Cl. XII. Ord. V. syst. Linn. — Fam. Rosaceae (Dryadeae) syst. natur.

Radix cum caulis basi. Est rhizoma breve, oblongum, fuscum, unam vel duas lineas crassum, radicales copiosas, tenues, longas, fragiles, culmum triticeum crassas, longitudinaliter rugosas emittens; epidermide fusco-rubicunda, cortice extus griseo-brunneo, intus rubicundo-flavo, fibroso-lignoso, crasso et ligno albo praeditum.

Recens collecta et sicca odore et sapore subcaryophyllaceo gaudet.

Serva in vasis bene clausis.

Ne substituatur radix fere inodora *Gei rivalis*.

### \* Radix Columbo.

**Kolombo- oder Kolumbowurzel.**

*Radix Colombo.*

*Cocculus palmatus* Decand. (*Menispermum palmatum* Lamark.), planta perennis scandens in sylvis ad littora Africae orientalis, praesertim in Mo-

zambique crescens, Cl. XXII. Ord. X. syst. Linn. —  
Fam. Menispermearum syst. natur.

Maxime in discis suborbicularibus, 1 ad 3 pollices largis, 2 ad 4 lineas crassis, rarius in segmentis oblongis, digitum crassis, 1 ad 3 pollices longis venalis occurrit.

Epidermis est fusco-lutescens, rugosa; lignum exterius striis concentricis praeditum est, intimum fasciculis fibrosis, sparsis, utrumque e subviridi vel subfusco flavum, saporis peramari. Superficies segmentorum tria, rarius quatuor strata exhibet, quorum exterius flavovirescens, intermedium subfuscum, interius seu centrale pallidius, cinereo-flavescens est; omnia lineis seu striis parallelis fuscis punctatis, radiatim positae distincta sunt.

Hiscis qualitatibus Radix Columbo vera facile a radice Columbo spuria, ex America allata, et a Frasea Walteri collecta, sicuti a radice Bryoniae dignoscitur.

Radix Columbo spuria coloris fere sordide-aurantiaci et levior est, et solummodo strata duo aequaliter tincta exhibet. Partes constitutivae efficaciae radice Columbo in Spiritu Vini rectificato solubiles sunt.

Cum Tinctura Jodi colorem atro coeruleum induit.

### \* Radix Curcumae.

Curcumawurzel. Gilbwurzel.

Curcuma longa Linn., Curcuma tinctoria Guibourt, Amomum Curcuma Jacquin. Planta perennis Chinae et Indiae orientalis (Java et Batavia), et sponte nascens, et culta.

Curcuma viridiflora Roxb. Planta Sumatrensis, in Batavia culta.

Cl. I. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Scitamineae (Zingiberaceae) syst. natur.

Frustra sunt magnitudine fructus Nucis Juglandis vel ovi columbini, cylindrica vel oblonga, tuberosa,



rugosa, ponderosa, compacta, resinose splendentia, extus glabra et pallide flavo-fusca, intus croceo-brunnea. Sapore et odore quidem debili sed aromatico gaudent.

Extracta aquosa et spirituosa soluta radice a quavis substantia alcalina colore rubro-brunnescente tinguntur. Solummodo ad parandam Chartam exploratoriam luteam inservit.

### Radix Dauci recens.

**Frische gelbe Rüben- oder Möhrenwurzel.**

*Daucus Carota* Linn., planta biennis Germaniae, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Radix culta, fusiformis, luteo-rubella, crassa, leviter transverso-sulcata, substantia interna carnosae, odoris proprii, debilis, saporis dulcis, insignis.

Solummodo ad parandam Succum Dauci inservit.

### \* Radix Filicis.

**Farnkrautwurzel.**

*Radix Filicis maris.*

*Aspidium Filix mas* Swartz., *Nephrodium Filix mas* Spreng., *Polypodium Filix mas* Linn., planta perennis indigena, in sylvis montosis frequens, Cl. XXIV. Ord. Filices. — Fam. Filices (Polypodiaceae) syst. natur.

Radix (cormus, caudex) subterranea, horizontalis, magna, palmaris ad pedem longa, 2 ad 3 pollices crassa, residuis imbricatis, oblongis petiolorum (stipitum) et squamis paleaceis, emarcidis, ferrugineis, oblongis obsita, recens extra atro-fusca, intus pallide subviridis, carnosae, sicca, extra sordide rubella, intus primo subviridis, dein e rubello alba. Odor radice recentis est peculiaris, ingratus, sapor similis dulciusculus, dein auster, subacer,

postremo amarus; radix sicca vix odorem, sed saporem congruum recentis praebet.

Radix colligatur sub finem aestatis vel autumnno, et remotis partibus omnibus nigrescentibus, fibrillis paleisque non ultra annum servetur.

Radices vetustae coloris fuscii removeantur.

Pulvis sit flavo-virens, odoris non ingrati, servetur in vitris bene obturandis, nec longius prostet.

Radix non confundatur cum caudice *Aspidii Filicis foeminae* (*Athyrii Filicis foeminae*), qui obliquus, non horizontalis, brevior et in statu sicco ater est.

## \* Radix Galangae.

### Galgantwurzel.

*Alpinia Galanga* Swartz., *Maranta Galanga* Linn., planta perennis Indiae orientalis et Chinae, Cl. I. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Scitamineae (*Zingiberaceae*) syst. natur.

Radix (rhizoma) teres, digitum crassa, pollices duos ad tres longa, lineas tres ad sex lata, vario modo flexa, tenax, fibrosa, dura, paullum ramosa, annulato-geniculata, rugosa, extra e rubro-fusca, intus albicans-rubicunda; saporis acris, amaricantis, fervidi; odoris aromatici.

Radix Galangae spuriae, quae ab *Alpinia nutante* colligitur, cujus frusta multo majora, crassiora, pallidiora, parumque aromatica sunt, rejiciatur.

## \* Radix Gentianae.

### Enzianwurzel.

*Gentiana lutea* Linn., et aliae species generis *Gentianae*, plantae perennes alpestres, in omnibus fere alpebus Europae occurrentes, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. *Gentianeae* syst. natur.

Radix *Gentianae luteae* est paullum ramosa, pollicem unum et amplius crassa, sex pollices et amplius



longa, sicca, superius annulata, inferius longitudinaliter sulcato-rugosa, tenax, ponderosa, extra e luteo et cinereo subfusca, intus subrufa, ligno crasso, cortice tenuiore, saporis peramari.

Radices specierum nonnullarum aliarum Gentianae, ut Gentianae purpureae et punctatae, sunt digitum crassae, coloris magis pallidi, et iisdem viribus gaudent ut Gentiana lutea.

Radix Gentianae Pannonicae, quae in civitatibus Austriae frequenter occurrit, coloris fuscioris et rimis longitudinalibus percursa, ceterum peramara et efficacissima est.

Radices Veratri albi, interdum non fraudulentem sed fortuito et incaute inmixtae, facillime cognoscendae, et, ut venenosae, sedulo separandae sunt.

### \* Radix Graminis.

#### Queckenwurzel.

*Triticum repens* Linn., planta perennis, in Germania fere ubique frequens. Cl. III. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Gramineae syst. natur.

Radix (stolo subterraneus) praelonga, teres, calamus stramineum fere crassa, repens, glabra, albo-flavescens, tenax, nodosa, ad nodos tantum radiculis obsita, fistulosa, odoris debilis cerealis, saporis subdulcis. Radices fere insipidae, mucidae, acidulae rejiciantur.

Radix Lolii perennis, quae interdum substituitur, est fibrosior, multo brevior et coloris magis obscuri.

### \* Radix Helenii.

#### Alantwurzel.

*Radix Emulae.* *Radix Inulae.*

*Inula Helenium* Linn., planta perennis montana Germaniae et aliarum terrarum, in hortis etiam culta, Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Compositae (Asteroideae) syst. natur.

Radix plerumque per longitudinem in taleolas

pollicem fere latas secta, pollicem et amplius crassa, longitudinaliter sulcato-rugosa, hinc inde verrucosa, extrinsecus subfusca, cortice tenui deglupto albo, intus subfusco-albicans ob folliculos succo indurato subfusco repletos, ligno crasso, tenaci, aegre fractu, odoris aromatici, saporis ex acri-amari, subaromatici.

Serva bene. Radix inodora, cariosa vel mucida rejiciatur.

### \* Radix Hellebori albi.

**Weisse Nieswurz.**

*Radix Veratri albi,*

Veratrum album Linn. et Veratrum Lobelianum Bernhardi, plantae perennes in pratis alpinis et subalpinis Germaniae meridionalis, Austriae, et Helvetiae. Cl. XXIII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Melanthaceae (Veratreae, Colchicaceae) syst. natur.

Radix (cormus) est cylindriaca aut conica, dura, densa, brevis, truncata, nodosa, pollicem fere crassa, plures pollices longa, extus nigrescens, fibris undique resectis scabra, rugosa, superne annulata, intus spongiosa, alba, odoris vix ullius, saporis acris, fere corrosivi. Pulveratione nares vellicat, et sternutationem vehementissimam excitat.

Serva caute et bene.

Radices vetustae et cariosae rejiciantur.

### Radix Hellebori nigri.

**Schwarze Nieswurz.**

Helleborus niger Linn., planta perennis alpina Germaniae praesertim australis nec non Helvetiae, quae etiam in hortis frequenter colitur. Cl. XIII. Ord. VI. syst. Linn. — Fam. Ranunculaceae syst. natur.



**Radix (rhizoma)** est nigro-fusca, fere multiceps, sex lineas circiter crassa, variae longitudinis, undique fibrillis copiosis, 1 ad 2 lineas crassis, vario modo contortis, rigidis, longitudinaliter rugosis, extrinsecus e fusco-nigricantibus, intus albis obsessa. Rhizoma transversim sectum substantiam corticalem praebet fuscam, subspongiosam, cum strato centrali sordide lutescente, stellato. Radix est odoris debilis, subnauseosi, sternutationem moventis, saporis amariusculi, haud admodum acris.

Ne mutetur cum radicibus Adonidis vernalis, Hellebori viridis et Actaeae spicatae. Adhaereant, si fieri potest, radici Hellebori nigri folia sicca pedata, foliolis oblongis, antrorsum leviter serratis, folia Hellebori viridis sunt undique argute serrata, folia Adonidis vernalis supradecomposita. Ceterum radix Hellebori viridis coloris obscurioris, fere nigri, et saporis multo acrioris, mordacioris et amarissimi est.

Rami rhizomatis Actaeae spicatae longiores sunt, parcius annulati; fibrillae duriores, tenaciores, inaequaliter crassae, nitidae, intus lignosae. Cum solutione Hydrargyri bichlorati infusum Hellebori colorem praebet albidum, infusum Actaeae autem non mutatur.

## \* Radix Jalapae.

### Jalapen-Wurzel.

Convolvulus Purga Wender., Ipomoea Purga Schlechtend., Ipomoea Schiedeana Zuccar., Exogonium Purga Lindley., Convolvulus Purga s. Purga de Jalapa Schiede, planta perennis Mexicana, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Convolvulaceae syst. natur.

Radix magnitudine nucis Juglandis vel pugni, tuberosa, compacta, ponderosa, rugosa, extus e griseo-fusca, in rugis massa nigricante obducta, interne paullulum pallidior, aut integra aut dissecta, intus annulis concentricis, punctis et lineis fuscis percursa.

Est odoris debilis, sed valde nauseosi, saporis acris, amari, vellicantis. Sit densa, perdura, ponderosa, fractura

resinosa. Pulvis praebet colorem flaviusculo-griseum. Radices leviores, spongiosae, fusiformes sic dictae stiptes Jalapae removeantur.

Caveas, ne radicem Spiritu Vini partim a resina privatam accipias.

### \* Radix Imperatoriae.

**Meisterwurz.**

*Radix Ostruthii.*

*Imperatoria Ostruthium* Linn., *Peucedanum Ostruthium* Koch., planta perennis subalpina, etiam in hortis culta, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Est rhizoma compressum, aliquot pollices longum, dimidium fere pollicem crassum, annulatum, geniculatum, e tuberculis radículas multas agens.

Epidermis est subfusca, longitudinaliter rugosa; cortex brunneus, parenchyma albidum, centro compactiore flavente, punctis resinosis, nigricantibus nitente. Odor est gravis, aromatico-balsamicus, Angelicae similis; sapor amariusculus, subpungens.

Serva bene.

Radix spontanea hortensi praestat.

### \* Radix Ipecacuanhae.

**Brechwurz.**

*Cephaëlis Ipecacuanha* Rich., planta perennis Brasiliae, Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Rubiaceae syst. natur.

Radix gracilis, flexuosa et torta, cylindrica, paullulum ramosa, 1 ad 3 lineas crassa, aliquot pollices ad quatuor longa, annulis seu rugis integris, confertis, inaequalibus, rimis profundis divisis. Extra est cortice



crasso, fragili, fusco-griseo, intus e luteolo-alba, compacta, passim quasi cornea, nitore resinoso; saporis amari, acri-nauseosi; odoris mucidi, irritantis, nauseosi.

Sit ponderosa.

Residuum lignosum pulverationis est rejiciendum, et solummodo parva quantitas pulveris paranda, aëre vim emeticam debilitante. Pulvis asservetur in vasis bene clausis.

Radix Ipecacuanhae nigrae a Psychotria emetica, sicuti radix Ipecacuanhae albae (undulatae, farinosae) a Richardsonia Brasiliensi minime substituantur.

## \* Radix Iridis Florentinae.

**Florentinische Veilchenwurzel.**

*Radix Ireos Florentinae.*

Iris Florentina Linn., planta perennis Italiae, Cl. III. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Irideae syst. natur.

Radix (rhizoma) est fusiformis, tuberascens, subcompressa, articulata, pollicem et ultra crassa, ponderosa, tenax, cortice et radiculis resecta, flavido-alba, punctis subfuscis notata, odoris violacei, saporis amaricantis, deinde acris. Interdum laevigata, pulvere Amyli conspersa occurrit.

Ne confundatur cum radicibus fere inodoris Iridis Germanicae et Iridis Pseudacori.

## Radix Levistici.

**Liebstockelwurzel.**

Ligusticum Levisticum Linn., Levisticum officinale Koch., planta perennis alpina Germaniae occidentalis et culta Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Radix cylindrica, spithamam usque ad pedem longa, caulem versus unum pollicem et amplius crassa, apicem versus in ramos crassos divisa, extra laete fusca, sub-

nigrescens, longitudinaliter rugosa, intus albedo-flavescentis, folliculis balsamifluis e rubicundo-luteis frequentibus, odoris et saporis peculiaris, subdulcis, aromatico-balsamici, subacris.

Optime siccata servetur in vasis bene clausis.

**\* Radix Liquiritiae echinatae.**

**Russische Süßholzwurzel.**

*Radix Glycyrrhizae echinatae.*

*Glycyrrhiza echinata* Linn., planta Russiae meridionalis et Hungariae, Cl. XVII. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. Leguminosae - Papilionaceae syst. natur.

Radix cylindrica,  $\frac{1}{2}$  ad 1 pedem longa,  $\frac{1}{2}$  ad 2 pollices crassa, cortice exteriore fusco deglupto, flava; ligno crassissimo, flavo, fibroso, sapore dulci.

**\* Radix Liquiritiae glabrae.**

**Deutsche Süßholzwurzel.**

*Radix Glycyrrhizae glabrae.*

*Glycyrrhiza glabra* Linn., planta spontanea Europae meridionalis, etiam in variis regionibus Germaniae australis culta. Classis, ordo et familia ut in *Glycyrrhiza echinata*.

Radix cylindrica, plures pedes longa, pennam anserinam vel digitum ad pollicem fere crassa, superne interdum ramosa, tenax, cortice extra e subfusco cinereo, per longitudinem rugoso, intus flavo; ligno crasso, fibroso, flaviori quam radicis *Glycyrrhizae echinatae*; odoris debilis, dulciusculi; saporis peculiaris, ex amaro dulcis.

Quod ad usum medicinalem attinet, Radices *Liquiritiae glabrae* et *echinatae* non diversae sunt.

Pulvis subtilissimus Radicis *Liquiritiae* e radice decorticata parandus.



## Radix Ononidis.

### Hauhechelwurzel.

*Ononis spinosa* Linn., (*Ononis spinosa* Willd., *Ononis procurrens* Walr., *Ononis hircina* Jacquin.), plantae perennes, in Germania frequentes, Cl. XVII. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. Leguminosae syst. natur.

Radix duos circiter et quod excurrit pedes longa, digitum minorem et amplius crassa, cylindrica, tenax, fissilis, ramosa, longitudinaliter profunde sulcata, contorta, epidermide tenui brunnea, ligno crasso, e subflavo albo, fibroso, vix odorata, saporis subacris, subadstringentis.

## \* Radix Pimpinellae.

### Pimpinellwurzel.

*Pimpinella Saxifraga* Linn., *Pimpinella dissecta* Nees ab Esenb., plantae perennes Germaniae, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Radix longa, pollicem dimidium et amplius crassa, plerumque simplex et recta, rugis longitudinalibus ac callis transversis passim tecta, superne tantum annulata, in fractura subspongiosa, e fusco-luteola, cortice spongioso, albido, intus interdum coerulescens e succo lacteo, quem recens fundit, ligno tenui striato, odoris inter contusionem acris, sternutationem moventis, saporis amariusculi, acris pungentis.

Radix Pimpinellae magnae, quae est major et nigrescens, ne substituatur, haud raro etiam loco radicis Pimpinellae verae radix Heraclei Sphondylii venditur, quae coloris pallidioris, odoris debilioris, saporis minus acris et in sectione transversa annulo fusco non insignis est.

## Radix Pyrethri.

### **Bertram-Wurzel.**

*Anacyclus officinarum* Hayn., planta annua, in Thuringia colitur, Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Compositae (Anthemideae) syst. natur.

Radix longa, simplex, subfusiformis, calamus scriptorium crassa, palmam circiter longa, petiolis residuis comata, colore extra griseo-fusco, intus pallidiore, flavescente, saporis acerrimi, pungentis, diu persistentis, odoris acris. Salivam provocat.

Radix Pyrethri Romani, ab *Anacyclo Pyrethro* collecta, quae ex Africa boreali advehitur et ad digitum crassa, rugosa et coloris griseo-fusci est, nunc raro venalis occurrit.

## \* Radix Ratanhae.

### **Ratanha- oder Ratanhia-Wurzel.**

#### *Radix Ratanhiae.*

*Krameria triandra* Ruiz et Pavon., fruticulus Peruvianus, Cl. IV. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Polygaleae syst. natur.

Radix subramosa, rarius simplex, elongata, saepe flexuosa, subteres usque ad ultimas fibrillas, plerumque e trunco brevior, crassior exiens, digitum crassa, rugosa, extra rutilo-brunnea, intus ochroleuca vel cinnamomea, perdura, fibrosa, odoris nullius, saporis adstringentis, peramari, masticata salivam colore obscuro imbuens.

Radix flavescens, a *Krameria lineari* (?) collecta, spuria, rejiciatur.

## \* Radix Rhapontici.

### **Pontische Rhabarberwurzel.**

*Rheum Rhaponticum* Linn., planta perennis



Siberiae, et ad ripas Ponti Euxini, Cl. IX. Ord. Trigynia syst. Linn. — Fam. Polygonaceae syst. natur.

Segmenta sunt cylindrica vel cylindrico-fusiformia, decorticata, brunneo-lutea, intus annulis luteo-albis et striis excentricis notata, masticata tenacia et mucilaginoso, salivam colore flavo tingentia, saporis adstringentis.

Ad usum veterinarium inservit.

## \* Radix Rhei.

**Rhabarber.**

*Radix Rhabarbari.*

Rhei species non certe cognitae. Plantae perennes Chinae et regni Tibetani. Cl. IX. Ord. Trigynia syst. Linn. — Fam. Polygonaceae, syst. natur.

Radix Rhei Moscovitica, Russica seu optima, itinere terrestri per Russiam advecta, occurrit in segmentis irregularibus, variae magnitudinis, compactis, quae sub dentibus strident, saepe hinc planis, inde convexis, ponderosis, saepius perforatis, extra resecto cortice luteis, pulvere deterlili conspersis, intus e rubro et albo variegatis, fractura inaequalibus, salivam manducantium colore flavo imbuentibus, odoris peculiaris, saporis nauseoso-amaricantis.

Radix Rhei Chinensis, per Angliam itinere maritimo allata, a procedente differt textura magis densa et compacta (itaque ponderosior est), colore flavo pallidior, striis venisque magis rubellis vel fuscis, rarius est perforata, odoris debilioris et saporis magis amari.

Radix nimis levis et nimis ponderosa, neque satis sicca, neque satis densa, neque in ore inter masticandum emolliens, uti radix magis fusca vel nigra, spongiosa, cariiosa, mucida rejiciatur. Radix Rhei bonae indolis corpore duro affricata striam intense luteam praebet.

\* **Radix Salep.****Salepwurzel.***Radix Salap.*

Orchidis Linn., species ignotae orientales, nec non Orchis Morio, mascula, fusca, militaris Linn. et cet., plantae perennes, indigenae, Cl. XX. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Orchideae syst. natur.

Tubera ovato-oblonga variae magnitudinis, plena, cornea, durissima, ponderosa, subdiaphana, sordide lutea, simplicia, rarius subpalmata, odoris debilis, saporis mucilaginosi, fatui. In Aqua sensim intumescunt, dein in mucilaginem lubricam convertuntur.

Radices nimis fuscae vel nigrae, cariosae, mucidae removeantur.

**Radix Saponariae.****Seifenwurzel.**

Saponaria officinalis Linn., planta perennis Germaniae, Cl. X. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Caryophylleae syst. natur.

Radix est fusiformis, cylindrica, ramos emittens repentes, articulatos, calamus scriptorium crassos, bi- ad tripedales, extra fusco-rubellos, parenchymate albido-griseo, parum compacto, a ligno centrali saepe cavo facile separabili, odoris nullius, saporis e subdulci glutinosi, dein acris, amaricantis.

Radix alba et insipida Lychnidis dioicae rejiciatur.

\* **Radix Sassaparillae.****Sassaparillenwurzel.***Radix Sarsaparillae.*

Nonnullae species Smilacis non satis definitae.

Sunt frutices Americae meridionalis, praecipue in ripis fluminis Orinoco, Cl. XXII. Ord. VI. syst. Linn. — Fam. Smilacaeae syst. natur.



In mercatura differunt praesertim: *Radix Sassaparillae* sic dicta Honduras vel acris; est radix perlonga, teres, ad 3 lineas crassa, flexuosa, per longitudinem rugoso-sulcata, subnodosa, radiculis fibrillosis paucis, epidermide sordide et pallide flavescente, griseo-fusca, ligno annulari subflavo, rarius subviridi, medulla crassiore alba, odoris debilis, saporis primum debilis, dein amaricantis, subausteri. Praeferenda est, et adfertur plerumque in fasciculis.

Quondam *Sassaparilla* sic dicta Lisbonensis seu de Maranon, e Brasilia allata, valde aestimata erat, nunc raro bonae indolis occurrit. Lota et fumo exposita est, epidermide e fusco-rufo-nigra a cortice facile secedente, et plerumque in fasciculis longioribus occurrit.

*Radix Sassaparillae* de Veracruz vel amarescens, fraudulentè terra picco-nigra vel fusca, unguinosa adspersa, rhizomate fibrisque crassioribus, magis profunde sulcatis diversa, sicut radix della Costa, quia vilioris pretii sunt, nunquam nisi medico postulante, adhibeantur.

*Radix Sassaparillae* sit recens, intus albida, farinosa, densa, tenax, saporis proprii acris; radix vetusta, intus nigrescens, nimis porosa, cariota, fragilis, lignosa et insipida rejiciatur.

*Sassaparilla* falsa, ex Arabia petraea collecta, verae similis sed grisea, crassior, fractura alba et maculis purpureis non instructa, ne dispensetur.

## \* *Radix Scillae.*

**Meerzwiebel.**

*Radix Squillae.*

*Scilla maritima* Linn., planta perennis Europae meridionalis Cl. VI. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Liliaceae syst. natur.

Bulbi ovato-globosi, magnitudinis pugni. Squamae sunt albae, basi interdum rubentes, siccae fragiles, imbricatae, basi carnosae, 1 ad 2 lineas crassae, odoris nullius, saporis peramari, nauseosi.

Recentes incisione auram spargunt acrem.

Serva caute.

\* **Radix Senegae.****Senegawurzel.**

*Polygala Senega* Linn., planta perennis Provinciarum unitarum Americae borealis, Cl. XVII. Ord. III. syst. Linn. — Fam. *Polygaleae* syst. natur.

Radix in rhizomate interdum occurrit cum brevissimis caulium residuis, subcylindrica, subramosa, pennam anserinam crassa, flexuosa, superne tuberculosa, subtus in curvaturis carina notata, cortice extrinsecus sordide luteolo, resinose nitente, fragili, intus est ligno albedo vel ochroleuco, odoris quidem debilis, sed nauseosi, subacris, saporis acris pungentis, ingrate aciduli.

\* **Radix Serpentariae.****Virginische Schlangenzurzel.***Radix Serpentariae Virginianae.*

*Aristolochia Serpentaria* Linn. et *Aristolochia officinalis* Nees ab Esenb., planta Americae borealis, Cl. XX. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. *Aristolochiae* syst. natur.

Radix rhizomate (capite) brevi, praemorso, flexuossissimo, tuberculato; radiculis tres pollices et amplius longis, copiosissimis, filiformibus, fragilibus, flexuosis, intricatis, extra gilvis vel brunneo-virentibus, intra e luteo fuscis, medulla ferruginea, odoris penetrantis, camphorato-terebinthinacei et Valerianae subsimilis, saporis acris, aromatici.

Serva in vasis bene clausis.

Cave, ne cum radice nigra Asari Virginiani confundatur.



\* **Radix Taraxaci.****Löwenzahnwurzel.**

De planta materna vide: Herba Taraxaci.

Radix subcylindriaca, radiculis obsita, digitum crassa, spithamam longa, extus e nigro fusca, intus alba, odoris vix ullius, saporis amariuscule, subdulcis.

Tempore vernali aut sero autumnio recenter colligenda et sedulo siccanda est.

**Radix Tormentillae.****Tormentillwurzel.**

Potentilla Tormentilla Schrank., Tormentilla erecta Linn., planta perennis Germaniae, Cl. XII. Ord. VIII. syst. Linn. — Fam. Rosaceae syst. natur.

Rhizoma est horizontale vel obliquum, cylindrico-fusifforme, flexuoso-curvatum, durum, digitum minimum crassum, duos circiter pollices longum, tuberosum, nodosum, extra ferrugineum, intus brunneo-rubrum, fibris longis, tenacibus, filiformibus, rigidis obsessum.

Radix est inodora, saporis valde styptici, adstringentis. Fibras reseca. Sit ponderosa et fragilis.

\* **Radix Valerianae.****Baldrianwurzel.***Radix Valerianae minoris.*

Valeriana officinalis Linn., planta perennis indigena, Cl. III. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Valerianaeae syst. natur.

Radix (rhizoma) brevis, praemorsa, subrotunda vel oblonga, tuberculata, radículas emittens copiosissimas, tenues, tres circiter usque sex pollices longas, semilineam crassas, contortas, extra cinereo-fuscas, intus albidas,

subcarnosas, odoris gravis, peculiaris, saporis amaro-acris.

Serva optime.

Radix e locis siccis, montanis collecta praefenda est radici in locis humidis crescenti, quae odoris et saporis debilioris est, magis pallida, radículas crassiores et magis carnosas emittens. Radices minores Valerianae dioicae minime colligendae sunt.

Infusum aquosum Valerianae bonae indolis sit subfuscum, limpídum, odoris et saporis gravis, peculiaris, subdulcis, amaro-aromatici et subacris.

## Radix Zedoariae.

Zittwerwurzel.

Curcuma Zedoaria Roskoe, planta perennis Indiae orientalis, Cl. I. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Zingiberaceae (Scitamineae, Alpinaceae).

Sunt tubera radicalia, subglobosa vel hemisphaerica, usque duos pollices et amplius magna, dimidium ad unum pollicem crassa, in taleolas scissa, subcornea, compacta, ponderosa, residuis fibrarum nodulosa, rugosa; extus e luteo cinerea; intus e rufo subflava, aut albida; folliculis parvis resiniferis; odoris fragrantis, Camphorae subsimilis; saporis aromatici, acris.

Radix vetusta, cariota, intus albido-farinosa, parum aromatica, ne ematur.

## \* Radix Zingiberis.

Ingwerwurzel.

Zingiber officinale Roskoe (Amomum Zingiber Linn.), planta perennis indigena Indiae orientalis, in India occidentali culta, Cl. I. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Scitamineae (Alpinaceae, Zingiberaceae) syst. natur.

Radix (rhizoma) ad duos pollices longa, 6 ad 8 lineas crassa, interdum ramosa, flexa, subpalmata, de-



pressa, rugosa, tuberculata, tenax, compacta, ponderosa, cortice exteriori resecto ex albido grisea, intus e rubenti alba vel ochroleuca, folliculis parvis resiniferis, odoris aromatici, saporis fervidi, fauces vellicantis.

Radix Zingiberis albissima, interdum venalis occurrens, vel calcaria impraegnata, rejiciatur.

### \* Resina Guajaci.

#### Guajakharz.

E ligno Guajaci officinalis (vide: Lignum Guajaci) vel sponte vel ex arbore sauciata stillat, et urendo vel coquendo cum Aqua paratur.

Occurrit in frustis difformibus, fusco-viridibus, subdiaphanis, duris, fracturae splendentis, triturae albidae, odoris debilis, saporis e dulci-amari, acris. Igne facile liquescit, prunis injecta odorem balsamicum spargit.

Sit a quisquiliis intermixtis libera, et cum Gummi Arabico et Aqua trita, aërique exposita colore caesio tingatur.

Sit praeterea in Spiritu Vini rectificatissimo perfecte solubilis; haec solutio concentrata, cum parte aequali Aquae mixta, lactescat, et addito Liquore Kali caustici pellucida reddatur, nec minime turbetur, etiamsi reagens dictum maximo in excessu addatur. Oleum Terebinthinae, cum quinta ponderis sui parte hujus resinae coctum, et dein refrigeratum, limpidum maneat, nec alieno tingatur colore.

### \* Resina Jalapae.

#### Jalapenharz.

*Rp.* Radicis Jalapae Libras quatuor.

In vas ligneum immissas, infunde cum Aquae communis fervidae tanta quantitate, ut radices usque ad altitudinem pollicis unius obtegantur, et macera per tres dies; decantato fluido, repete hanc operationem; tum exprime. Radicibus incisis, vel melius siccatis et postea in mortario ferreo contusis superfunde:

**Spiritus Vini** rectificatissimi Libras octo,  
 digere per viginti quatuor horas, et exprime post  
 refrigerationem. Haec operatio cum residuo radicum  
 et alteris Libris octo Spiritus Vini rectificatissimi repe-  
 tenda est. E tincturis mixtis et filtratis elice Spiritum  
 Vini rectificatissimum per distillationem in balneo aquae.  
 Ablue resinam subsidentem cum Aqua bulliente com-  
 muni tam diu, donec Aqua fere decolor defluat, tum  
 sicca resinam in balneo aquae eo modo, ut in bacillos  
 formari possit.

Serva caute.

Resina Jalapae est valde fragilis, friabilis, fusco-flavescens, parum  
 splendens, non pellucida, in Spiritu Vini rectificatissimo valde solubilis,  
 odoris debilis nauseosi, et saporis primum debilis, postea acris, fauces  
 vellicantis.

Sit in Aethere, sicut in Oleo Terebinthinae tantum pro parte  
 minima solubilis, et solutio spirituosa, Liquore Kali caustici super-  
 saturata, sit perfecte limpida. Resina tenax et non facile friabilis  
 rejicienda.

## \* Resina Pini.

### Fichtenharz.

*Resina Burgundica. Resina alba seu communis.*

**Pinus sylvestris** Linn. et **Abies excelsa**  
 Decand., arbores Europae borealis et temperatae,  
 Cl. XXI. Ord. IX. syst. Linn. — Fam. Coniferae  
 syst. natur.

Paratur e resina, ex arboribus nominatis sponte vel  
 sauciatis stillante, coquendo cum Aqua et liquando, tum  
 colando et sordibus privando.

Sit flavescens vel e rufo-fusca, opaca vel subdiaphana, tenax, manu  
 mollescens vel friabilis, fracturae nitentis, odoris et saporis tere-  
 binthinacci.



## Rob Dauci.

**Eingedickter Möhrensaft.**

*Succus Dauci inspissatus. Roob Dauci.*

*Rp.* Radicum Dauci recentium, lotarum et rasarum quantum libet.

Sacco linteo inclusis exprimatur prelo succus, qui semel ebulliendo ac colando clarificetur, et leni calore in lebete stanneo sub perpetua agitatione ad mellis consistentiam evaporet.

Serva ut extracta.

Sit brunneum, in fila ductum diaphanum, consistentiae dictae; odoris proprii aciduli; saporis paris dulcis. Cum Aqua diluto immisum Ferrum politum Cuprum ne prodatur.

## \* Rob Juniperi.

**Wachholdermuss. Wachholderlatwerge.**

*Succus Juniperi inspissatus. Extractum Juniperi.  
Roob Juniperi.*

*Rp.* Baccarum Juniperi maturarum, recentium, contusarum Partem unam,

Aquae communis bullientis Partes quatuor.

Stent in dolio per duodecim horas, subinde agitata, tunc modice exprimantur. Infusum subsidendo et colando depuratum, evaporet leni calore lebete stanneo ad mellis consistentiam.

Serva uti extracta.

Sit rutilo brunneum, consistentiae dictae; saporis quodammodo juniperini, dulcis, denique amaricantis; in Aqua solubilis, solutionem turbidam praebens. Utrum Cuprum insit, pari modo ut in Rob Dauci explorandum est.

\* **Rob Sambuci.****Hollundermuss. Hollunderlatwerge.***Succus Sambuci inspissatus. Pulpa Sambuci.**Roob Sambuci.*

Baccae Sambuci maturae recentes calefiant in lebetestanneo continue agitando per semihoram, vel donec dirumpantur; tunc ope sacculi lintei leviter exprimantur. Succus expressus, subsidendo et colando depuratus, leni calore ad mellis consistentiam evaporet. Tum singulis libris rob obtenti adhuc calentis admisce:

Sacchari albi pulverati Unciam unam.

Sera uti extracta in loco sicco.

Sit brunneo-nigrum, chartam colore brunneo-rubente depingens; splendoris picci; saporis sambucini insignis, e dulci aciduli, cum Aqua solutionem paullum turbidam exhibens. Ne Cuprum contineat.

**Rotulae Menthae piperitae.****Pfeffermünzkügelchen.***Rotulae Menthae piperitidis.**Rp.* Rotularum Sacchari Uncias octo.

Immitte in vas vitreum et adspargendo ac agitando impregna cum mixtione ex:

Olei Menthae piperitae,

Aetheris acetici, singulorum Drachma dimidia,  
ut rotulae perfecte et aequabiliter humectentur.

Sera in vase vitreo bene clauso.

Sint odoris ac saporis Olei Menthae piperitae insignis.

**Rotulae Sacchari.****Zuckerplätzchen.**

Parantur e Saccharo albissimo.

Sint ponderis circiter Granorum quatuor et siccissimae.



\* **Saccharum album.****Weisser Zucker.**

Saccharum officinarum Linn., planta Indiae orientalis et Indiae occidentalis, Cl. III. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Gramineae syst. natur.

Substantia vegetabilis propria, cuique nota.

Sit albissimum, siccum, inodorum, in Aqua perfecte solubile, et solutio admixta Aqua hydrosulphurata ne permutetur. Coerulescentem rejice.

\* **Saccharum Lactis.****Milchzucker.**

Paratur praecipue in Helvetia evaporatione seri lactis vaccini.

Venale occurrit in placentis crystallinis vel in massis cylindricis, albis vel subflavescentibus, subdiaphanis, duris, inodoris, dulciusculis, inter dentes stridentibus. Solubile est in Aquae fervidae Partibus tribus, frigidae Partibus sex, sed vix in Spiritu Vini. Ponderum specificum = 1,5.

Rancidum rejice, ceterum sit a partibus caseosis liberum, siccum, nec coloris nimis flavi.

**Sal thermarum Carolinarum factitium.****Künstliches Karlsbader Salz.**

*Rp.* Natri sulphurici depurati Libras quatuor,  
 „ carbonici depurati Libras duas,  
 Natrii chlorati depurati Libram unam.

Solvantur in Aquae fervidae quantitate sufficiente. Solutio filtrata evaporando lege artis ad crystallisationis momentum redigatur. Crystalli collectae, a lixivio separatae, non ablutae, siccentur, et iterata vice e lixivio

remanente pari modo crystalli separentur. In lixivio denuo

Natri sulphurici depurati Librae duae solvi possunt; lixivium ultimum autem rejiciendum est, si crystalli obtentae cum illis Natri carbonici intermixtae inveniuntur.

Serva in loco frigido.

Sint crystalli parvae, regulares, fatiscentes, saporis Natri sulphurici, cum adhaerente Natri carbonici et Natrii chlorati; in Aqua facile solubiles.

## Sal thermarum Carolinarum genuinum.

**Aechtes Carlsbader Salz.**

Praeparatur in thermis Carolinis evaporatione aquae mineralis.

Sal aut in frustis crystallinis, aut pulverulentum, albissimum, saporis amaricantis salsi, in Aqua facillime solubile.

Constat praesertim e Natro sulphurico et carbonico, ac Natrio chlorato.

## \* Santoninum.

**Santonin.**

Praeparatum officinarum chemicarum.

Format crystallula prismatica, rectangularia, acicularia, foliacea, decolora. Sunt splendoris sericei, odoris nullius, saporis amariuscule, in Aqua difficulter, facilius in Spiritu Vini rectificatissimo frigido, facillime in fervido solubilia; etiam in Aethere, Oleis aethereis et pinguibus solvantur.

Aestui exposita primum fluunt, tum, calore magis aucto, odorem Seminis Cinae spargentia, fere perfecte



volatilia sunt. In radiis solis colorem flavescentem assumunt, simulae crystallula dirumpuntur.

Serva in vitris bene clausis, contra lucem munitis.

Solutio aquosa ne sit mucilaginosa; reactionem nullam praebeat; si praeparatum siccum cum Spiritu Vini superfunditur, flamma colore viridi ne imbuatur.

## \* Sapo domesticus.

**Hausseife.**

*Sapo sebacinus.*

Paratur coquendo Sevum cum Liquore Kali caustici et sub finem addendo Natrium chloratum.

Substantia cuique nota, Saponi Hispanico similis.

Sit albidus; sapo pigmentis inquinatus rejiciendus.

## Sapo guajacinus.

**Guajacseife.**

*Rp.* Liquoris Kali caustici Unciam unam,  
Aqua destillatae Uncias duas.

Immitte in patinam porcellaneam balneo aquae impositam et ad ebullitionem usque calefac, tunc admisce sensim:

Resinae Guajaci pulveratae Drachmas sex,  
aut tantum ut ultima portiuncula non soluta remaneat,  
Aquam evaporatione diminutam restituendo. Liquorem per linteam texturae densioris colatum leni calore ad massae pilularum densitatem evaporando inspissa.

Serva in vase porcellaneo vel murrhino in loco sicco.

Sit e fusco viridulus, gummosus; odoris ac saporis guajacini, neutiquam Kali causticum prodentis; in Aqua destillata solubilis.

\* **Sapo Hispanicus.****Spanische Seife.***Sapo Venetus. Sapo Alicantinus.*

Paratur coctione Olei Olivarum cum Liquore Natri caustici, praesertim in Hispania, Italia et Francogallia.

Sit albus, solidus, tactu submollis, aspectu pinguis, nec odoris nec saporis rancidi, in Aqua et Spiritu Vini perfecte vel paucissimo residuo solubilis.

\* **Sapo jalapinus.****Jalapenseife.***Sapo jalappinus.*

*Rp.* Resinae Jalapae,  
Saponis medicati, singulorum Uncias duas,  
Spiritus Vini rectificati Uncias quatuor,  
aut quantum requiritur, ut solvantur leni digestionem.  
Tum ad massae pilularis consistentiam sub continua agitatione evaporare fac, ut totum pondus sit Unciarum quatuor cum dimidia.

Serva in vasis probe clausis.

Sit lacte fuscus, viscidus; odoris ac saporis nauseosi Jalapae; neutiquam saporis alcalini caustici; in Aqua destillata emolliens; in Spiritu Vini rectificatissimo solubilis.

Scrupulus unus Saponis jalapini continet fere Grana novem (8 $\frac{8}{9}$ ) Resinae Jalapae.

\* **Sapo medicatus.****Medicinische Seife.**

Praeparatum officinarum chemicarum, saponificatione Olei Provincialis ope Liqueoris Natri caustici obtentum.

Est albidus vel albido-flavescens, lubricus, consistentiae durioris, odoris debilis, proprii, non rancidi, saporis mitioris non caustici, in Aqua et in Spiritu Vini



rectificatissimo perfecte solubilis. Leni calore liquescit; calore aucto, carbonem relinquens, decomponitur.

Solutio, cum pauxillo Acidinitrici mixta, a sedimento defiltrata, Liquore Argenti nitrici ne vel vix perturbetur, porro, Liquore Ammoniaci caustico neutralisata, et cum Liquore Kalii ferro-cyanati flavi mixta, nullo modo brunnescat.

Pulvis Saponis medicati, parva quantitate Hydrargyri chlorati mitis contritus, colore nigrescente ne imbuatur. Praeparatum saporis et odoris rancidi rejiciendum.

### \* Sapo niger.

**Schwarze Seife. Grüne Seife.**

*Sapo viridis.*

Coctione olei vilis vel adipis piscium cum Liquore Kali caustici obtinetur.

Massa est mollis, sordide viridis, interdum fusco-nigrescens, odoris nauseosi, saporis caustici, alcalini.

Sit in Aqua et in Spiritu Vini solubilis, nec nimis causticus vel liquidus.

### Sapo terebinthinatus.

**Terpenthinseife.**

*Balsamum vitae externum.*

*Rp.* Saponis Hispanici siccati, triti,  
Olei Terebinthinae, singulorum Libram unam,  
Kali carbonici depurati Uncias duas.

Digerantur in vase vesica clauso, ac misceantur exactissime.

Serva in olla murrhina obturata et charta cerata tecta.

Sit consistentiae Axungiae Porci, coloris albi, demum fusciscentis.

### \* Secale cornutum.

**Mutterkorn.**

Claviceps purpurea Tulasn., (Uredo frumenti Sowerby., Spermoeidia clavus Fries.,

*Sclerotium clavum* Decand., *Sphacelia segetum* Leveillé.) *Mykelium* fungi seminibus monstrosis *Secalis cerealis* insidens, Cl. XXIV. Ord. Fungi syst. Linn. — Fam. Uredineae syst. natur.

Grana sunt subcylindrica, plerumque curvata, saepe longitudinaliter rugosa, violaceo-grisea, intus albida, lineas circiter sex et ultra longa, lineam unam vel duas lata, angulosa, odoris proprii, saporis dulciusculi, nauseosi, modice acris.

Desumantur e spicis virescentibus serena tempestate, et in vasis bene clausis nec ultra annum serventur.

Corrosa, vetusta, mucida, odorem ammoniacalem vel foetidum spargentia removeantur.

### \* *Semen Anisi stellati.*

*Sternanis.*

*Semen Badiani.*

*Illicium anisatum* Linn., frutex indigenus Chinae et Japoniae, Cl. XIII. Ord. VI. syst. Linn. — Fam. Magnoliaceae syst. natur.

Capsulae sunt sex ad octo in orbem positae, stellatae, ovatae, subcompressae, fragiles, extus rugosae, intus glabrae, griseo-fuscae, monospermae, superiore sutura dehiscentes, quae semina solitaria, compressa, nitentia, fusca, ovata, duriuscula, nucleo albo oleoso continent; odoris et saporis dulciusculi, fragrantis, aromatici.

### \* *Semen Anisi vulgaris.*

*Anissamen.*

*Pimpinella Anisum* Linn., *Anisum vulgare* Gaertn., planta annua indigena Orientis et Italiae, in Germania praesertim in Saxonia et Thuringia culta,



Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae  
syst. natur.

Semina pedicellata, subglobosa, ovata, utrinque  
quinque striis dorsalibus striata, pilis brevissimis pubes-  
centia, circiter unam et dimidiam lineas longa, vix  
lineam crassa, glauco-subviridia, saporis fervidi dolci-  
usculi, odoris fortis, aromatici.

Sint a quisquiliis libera, et semina fusca, rugosa, inodora re-  
jiciantur.

### Semen Cacao.

**Cacaobohnen.**

*Fabae Cacao.*

*Theobroma Cacao* Linn., arbor Americae tro-  
picae. Cl. XVIII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Buett-  
neriaceae syst. natur.

Semen percognitum, e Caracas allatum praestat.

### \* Semen Cannabis.

**Hanfsamen.**

*Cannabis sativa* Linn., planta annua Persiae,  
apud nos culta. Cl. XXII. Ord. V. syst. Linn. —  
Fam. Urticeae (Cannabineae) syst. natur.

Nuces sunt globoso-depressae, ovato-obtusae, bival-  
ves, glabrae, fusco-viridescens, nucleo albido, cuticula  
viridescens tecto, saporis mucilaginosi, fatui, oleosi,  
dulciusculi.

### \* Semen Cardui Mariae.

**Mariendistel- oder Frauendistelsamen.**

*Carduus marianus* Linn., *Silybum maria-  
num* Gaertn., planta fere totius Europae. Cl. XIX.  
Ord. I. syst. Linn. — Fam. Compositae syst. natur.

Semina cylindrica, ovalia, planiuscula, incurva, glabra, sub testa nitida fusca nucleum albidum includentia, saporis subacris, dulciusculi et mucilaginosi.

### \* Semen Carvi.

**Kümmelsamen.**

*Carum Carvi* Linn., planta biennis pratensis spontanea et culta Germaniae, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Fructus circiter sesquilineam aut duas lineas longi, utrinque attenuati, a latere compressi, medio contracti, dorso utrinque tristriato, glabri, obscure fusci, viridescentes, odoris peculiaris, fragrantis, saporis aromatici amariusculi.

### \* Semen Cinae.

**Wurmsamen. Zittwersamen.**

*Semen Santonici.*

*Artemisia Contra Vahl, Artemisia Lieberi* Besser. (*Artemisia Vahlia* Kosteletzki), plantae Palaestinae et Syriae, Cl. XIX. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Compositae (Artemisiaceae) syst. natur.

Non semina, sed capitula clausa, oblonga, vix lineam longa, compressa, squamis imbricatis involucri; exteriora sunt viridia, carinata, subrugosa, non pilosa; interiora margine plus minusve dilatato, membranaceo, flavescente et splendente, quibus frequenter fragmenta subvillosa ramulorum parvulorum et semina parva, oblonga, flavo-viridia, vel griseo-viridia intermixta sunt. Hoc, in mercatura sic dictum Semen Cinae Levanticum, Alepicum vel Alexandriacum, est saporis subaromatici,



amari, odoris peculiaris, penetrantis, haud grati, et solummodo usui medicinali adhibeatur.

Semen Cinae Barbaricum, Indicum vel Africum, e planta materna *Artemisia glomerata*, cujus fragmenta parvula pedunculorum et petiolorum subvillosa, et quibus nunquam flores inevoluti intermixti sunt, coloris sordide griseo-viridis, odoris et saporis debilioris, ingratoris, semper rejiciendum. Flosculi et Semina *Artemisiae campestris*, quae interdum substituuntur, fere insipida et inodora sunt. *Achaenia longa*, striata, griseo-fusca *Tanacetii vulgaris* magis amara et odoris multo alieni sunt.

### \* Semen Colchici.

#### Zeitlosensamen.

*Colchicum autumnale* Linn., planta perennis fere in tota Europa nascens, in pratis humidis frequens, Cl. VI. Ord. I. syst. Linn. — Fam. *Melanthaceae* (*Colchiceae*) syst. natur.

Semina sunt subglobosa, magnitudinis grani *Panici miliacei*, siccata fusco-lutea, recentia albida, perdura, ponderosa, umbilico prominente praedita, nucleo albido corneo. Sunt odoris nullius et saporis acris.

Immatura, pallida et rugosa rejice.

### Semen Coriandri.

#### Coriandersamen.

*Coriandrum sativum* Linn., planta annua, in Oriente spontanea, apud nos in hortis culta, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. *Umbelliferae* syst. natur.

*Diachaenia* sunt globosa, arcte cohaerentia, glabra, magnitudinis *Piperis albi*, e fusco-cinerea, costis tenuissimis, mericarpiis novem-costatis, vestigiis calycis plus minusve remanentibus. Sunt odoris et saporis aromatici, haud ingrati.

## Semen Crotonis Tiglii.

**Purgirkörner.**

*Grana Tiglii.*

*Croton Tiglium* Linn. et *Croton Pavana* Hamilton., frutices Asiae tropicae. Cl. XXI. Ord. VIII. syst. Linn. — Fam. Euphorbiaceae syst. natur.

Semina sunt ovalia, magnitudinis fabae minoris, subaspera, utrinque obtusa, hinc linea prominula percursa et caruncula umbilicali notata, integumento fragili, sordide cinereo fusco, maculato, nucleo albo vel subflavescente, oleoso, saepius cum reliquiis capsulae tricoccae mixta. Sunt inodora, saporis acerrimi, urentis et linguae diu adhaerentis.

Serva caute.

## \* Semen Cydoniae.

**Quittensamen. Quittenkörner.**

*Semen Cydoniorum.*

*Cydonia vulgaris* Persoon., arbor indigena Cretae, apud nos culta; Cl. XII. Ord. V. syst. Linn. — Fam. Rosaceae (Pomaceae) syst. natur.

Semina sunt oblonge-ovata, subcompressa, hinc rotundata, illinc acutiuscula, fusca, duas circiter lineas longa, grisea, membrana mucilaginoso obducta, saepius conglutinata, nucleo albido oleoso, quorum plures loculamento unico insident.

Sunt inodora, saporis fatui, prius mucilaginosi, tum amygdalini.

Mucilago Cydoniorum admixta solutione Boracis non coagulatur, qua reactione deficiente facile a Mucilagine Gummi Arabici, quae coagulatur, dignoscitur.

Semina Pyri Mali et Pyri vulgaris, quae interdum Seminibus Cydoniae substituuntur, facile et colore obscuriore, nitente et defectu mucilaginis deteguntur.

Semina corrugata, mucida removenda sunt.



\* **Semen Foeniculi.****Fenchelsamen.***Semen Foeniculi dulcis seu vulgaris.*

*Anethum Foeniculum* Linn., *Foeniculum vulgare* Gaertn., planta biennis spontanea Orientis, in Italia et Germania colitur, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Semina (diachaenia) sunt subteretia, oblonga, haud raro curvata, incano-virentia, glabra, costis tribus dorsalibus eminentibus flavidis, nucleo oleoso fusco, odoris aromatici, saporis similis et dulciusculi.

\* **Semen Foeni Graeci.****Bockshornsamen.**

*Trigonella Foenum Graecum* Linn., planta annua in Europa australi, etiam in Germania culta, Cl. XVII. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. Papilionaceae (Leguminosae) syst. natur.

Semina sunt oblonga, subrhombico-tetragona, 1 ad 2 lineas circiter longa, lineam lata, lateribus duobus truncata, utrinque sulco obliquo flavo-fusco exarata, dura, punctato-granulata, nucleo ochroleuco, odoris gravis, haud grati, fere melilotici, saporis mucilaginosi, nauseosi, amaricantis.

Solummodo usui veterinario inserviunt, et plerumque pulverisata venalia occurrunt.

**Semen Hordei decorticatum.****Gerstengraupe.**

*Hordeum vulgare* Linn., *Hordeum hexastichon* Linn. et aliae *Hordei* species, plantae cereales

notissimae; Cl. III. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Gramineae syst. natur.

Semen est album, farinosum, cuique notum.

Semper ad decoctum Hordei parandum decortiatum adhibeatur.

### \* Semen Lini.

**Leinsamen.**

*Linum usitatissimum* Linn., planta annua, in Germania australi et boreali frequenter culta, Cl. V. Ord. V. syst. Linn. — Fam. Linoideae syst. natur.

Semina parva, ovata, compressa, basi obtusiuscula, apice acuminato, glaberrima, nitentia, fusca, nucleo albido, mucilaginoso, saporis ingrante dulcis et oleosi, odoris nullius.

Semen rancidum rejiciendum.

### \* Semen Lycopodii.

**Bärlappsamen. Streupulver. Hexenmehl.**

*Lycopodium clavatum* Linn., planta perennis in sylvis siccis, sterilibus praesertim Germaniae borealis frequens; Cl. XXIV. Ord. Filices. syst. Linn. — Fam. Filices syst. natur.

Semina (spora) sunt e capsulis spicarum, in furno siccatarum, excussa et per cribrum trajecta.

Oculo inermi exhibent pulverem farinosum, pallide flavum, tenerrimum, armato apparent globosa, subcompressa, subdiaphana, pallide sulphurea. Sunt inodora, insipida, attactu unguinosa, mollia, digitis adhaerentia, Aquae inuantantia nec miscibilia; accensa cum strepitu sine fumo resinoso deflagrant.

Amylum admixtum colore coeruleo, adpersa Tinctura Jodinae detegitur. Sulphur comburendo odore proprio dignoscitur. Pollen Pini sylvestris, Coryli avellanae et aliarum arborum exhibet pulverem magis cohaerentem, minus subtilem, sordidiorem, qui facile cum Aqua misceri potest.



\* **Semen Papaveris.****Mohnsamen.***Semen Papaveris albi.*

*Papaver somniferum* Linn.  $\alpha$ ) album, planta annua orientalis, apud nos culta, Cl. XIII. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Papaveraceae syst. natur.

Semina parva, alba, subglobosa, subrugosa, inodora, saporis dulcis, pinguis.

Mature sunt colligenda.

\* **Semen Petroselini.****Petersiliensamen.**

*Apium Petroselinum* Linn., *Petroselinum sativum* Hoffm., planta biennis, in Europa occidentali spontanea, apud nos in hortis culta, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Semina (achaenia) sunt exigua, lineam circiter longa, fusco-viridia, oblonga, hinc plana, inde convexa, dorso tricostato, calycis vestigiis nullis, odoris fragrantis, aromatici, saporis acris, aromatici.

\* **Semen Phellandrii.****Wasserrfenchel.***Semen Foeniculi aquatici.*

*Phellandrium aquaticum* Linn., planta perennis palustris, in Germania frequens, Cl. V. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Umbelliferae syst. natur.

Semina (achaenia) ad duas lineas longa, ovato-oblonga, vix compressa, viridi-fusca, utrinque dorso

tricostata, costis rotundatis, lateribus subcontractis, calycis vestigiis conspicuis. Sunt odoris gravis, peculiaris, saporis ingrati, dulciusculi, acriusculi.

Cave, ne aliis seminibus Umbelliferarum, ut Cicutae virosae, Sii angustifolii, Sii latifolii adulterata sint, quae odore, sapore et forma divergunt.

### \* Semen Sinapis.

**Senfsamen.**

*Semen Sinapis nigrae. Semen Sinapeos.*

*Sinapis nigra* Linn., planta annua spontanea Germaniae occidentalis, etiam culta, Cl. XV. Ord. II. syst. Linn. — Fam. Cruciferae syst. natur.

Semina sunt parva, subglobosa, fusco-ferruginea, intus flava, minutim rugosa, reticulato-venosa, peracria.

Serva pulverem viridescenscentem, nunquam emendum, sed in officinis ipsis parandum, bene nec diutius.

Semen *Sinapis albae* var. seminibus nigris, quod majus, glabrum, non reticulatum est, sicuti semina *Brassicae* vel *Napi*, quae omnia Aqua humefacta odorem volatilem acrem Olei *Sinapis* non exhalant, nunquam substituantur.

### Semen Stramonii.

**Stechapfelsamen.**

*Semen Daturae.*

De planta materna vide: *Herba Stramonii*.

Semina sunt reniformia, compressa, scrobiculato-scabra, nigra, lentis minoris magnitudine, cuticula nigra tecta, intus alba, inodora, saporis narcotici.

Serva caute et bene.

Sint matura. Ne confundantur cum seminibus fragrantibus *Nigellae sativae*.



## Serum Lactis aluminatum.

### Alaun-Molke.

*Rp.* Lactis vaccini, cui flos omnis ademptus est, Libras quatuor.

In lebete cupreo, intus stanno obducto, calefactis adde sub initio ebullitionis:

Aluminis depurati pulverati Scrupulos quatuor usque sex.

Ebulliant, donec caseosa pars lactis in coagulum abierit, quo facto serum coletur, cui tunc, ut penitus clarum evadat, adde:

Albumen Ovorum duorum, in spumam conversum.

Post unicam ebullitionem serum refrigeratum cola et per chartam bibulam filtra.

Paratur ex tempore.

Sit flavescens, limpidum.

Copia dicta Lactis praebet Seri Uncias triginta et duas.

## Serum Lactis dulce.

### Süsse Molke.

*Serum Lactis. Loco: Seri Lactis tartarisati.*

*Rp.* Lactis vaccini, flore privati, Libras duas.

In patina murrhina vel porcellanea ad ebullitionis initium calefactis adde:

Acidi hydrochlorati puri Guttas viginti et quatuor.

Post refrigerationem filtra per chartam bibulam.

Paratur ex tempore.

Sit flavescens, limpidum.

## Serum Lactis tamarindinatum.

### Tamarinden-Molke.

Paretur uti Serum Lactis aluminatum, loco Aluminis depurati Pulpae Tamarindorum Drachmas decem adhibendo.

Paratur ex tempore. Sit e rubro flavescens, limpidum.

\* **Sebum ovillum.****Hammeltalg.***Sevum vervecinum.*

E capsulis adiposis imprimis renum et omenti *Ovis Arietis*, Cl. *Mammalia*, Ord. *Bisulca*, eliquatione, expressione et colatura paratur.

Substantia est alba, solida, fere inodora, saporis mitis.

Ne serva in loco calido.

Sebum vetustum, rancidum, coloris haud expers, rejiciatur.

**Siliqua dulcis.****Johannisbrod.**

*Ceratonia Siliqua* Linn., arbor *Orientis* et *Europae meridionalis*, Cl. *XXIII*. Ord. *II*. syst. Linn. — *Fam. Leguminosae* syst. natur.

Legumina sunt sex pollices et plus longa, pollicem lata, aliquot lineas crassa, compressa, rigide coriacea, badia, transversim multa locularia, pulpam subfuscam, dulcem et semina ovata compressa, durissima, nitida, glabra, obscuro-rubra, includentia.

Ab insectis erosa rejicienda.

**Sinapismus.****Senfteig.**

*Rp.* Pulveris Seminis *Sinapis*,  
Aquae fervidae, singulorum Partes aequales.

Misce ut fiat cataplasma.

Paratur ex tempore.

Sit odoris penetrantis, acerrimi et volatilis; cutem maxime rube-  
faciens.



## \* Solutio arsenicalis Fowleri.

### Fowler's Arsenik-Auflösung.

*Liquor Arsenici kalinus. Tinctura arsenicalis. Liquor antipyrreticus seu arsenicalis Fowleri. Solutio mineralis.*

*Rp.* Acidi arsenicosi,  
 Kali carbonici puri, singulorum Grana sexaginta  
 quatuor,  
 Aquae destillatae Uncias decem.  
 Haec phialae vitreae immissa lento igne coque,  
 donec omnia soluta sint. Solutioni refrigeratae adde:  
 Spiritus Lavendulae Unciam dimidiam,  
 Aquae destillatae tantum, quantum opus est ad  
 Uncias duodecim complendas.

Serva in vitro rite obturato ut venenum.

Drachma una et dimidia hujus solutionis Granum unum Acidi arsenicosi continent.

## \* Species aromaticaе.

### Gewürzkräuter.

*Species pro Cucuphis. Species nervinae. Species cephalicae.*

*Rp.* Herbae Menthae piperitae,  
 „ Majoranae,  
 „ Rorismarini,  
 „ Serpylli,  
 Florum Lavendulae, singulorum Uncias duas,  
 Caryophyllorum,  
 Cubeborum, singulorum Unciam unam,  
 e quibus minutim incisus et contusis fiant species.

Serva in vase vitreo, vel e ferri laminis, stanno obductis, confecto, probe clauso.

Sint odoris summe aromatici partium adhibitarum.

\* **Species emollientes.****Erweichende Kräuter. Kräuter zu Umschlägen.***Species emollientes ad Cataplasma. Pulvis emolliens.*

*Rp.* Herbae Malvae,  
 „ Meliloti,  
 Florum Chamomillae vulgaris,  
 „ Sambuci,  
 Radicis Althaeae,  
 Seminis Lini, singulorum Partes aequales,  
 e quibus et incisis, et contusis, fiat pulvis crassus.  
 Serva in seriniis tectis.

**Species laxantes St. Germain.****St. Germain's abführende Kräuter.***Species pro Thea St. Germain.*

*Rp.* Foliorum Sennae incisorum, Spiritu Vini rectificatissimo extractorum et siccatorum Uncias quatuor,  
 Florum Sambuci incisorum Uncias duas cum dimidia,  
 Seminis Foeniculi,  
 „ Anisi vulgaris, singulorum contusorum Drachmas decem,  
 Tartari depurati pulverati Drachmas sex.  
 Misc.

\* **Species Lignorum.****Holztrank - Species.***Species ad Decoctum Lignorum. Species mundificantes.*

*Rp.* Ligni Guajaci Libram unam et dimidiam,  
 Radicis Bardanae,



Radicis Saponariae,  
 „ Caricis arenariae,  
 „ Liquiritiae,  
 Ligni Juniperi,  
 „ Sassafras, singulorum Libram dimidiam,  
 Seminis Anisi vulgaris Unciam unam,  
 e quibus concisis, contusis ac mixtis fiant species.

### \* Species pectorales.

**Brustspecies. Brust-Thee.**

*Species ad Infusum pectorale.*

*Rp.* Radicis Althaeae Uncias quatuor,  
 „ Liquiritiae,  
 „ Iridis Florentinae,  
 Herbae Hederae terrestris,  
 „ Farfae, singularum Uncias duas,  
 Florum Rhoeados,  
 „ Verbasci, singulorum Unciam unam,  
 Seminis Anisi stellati Unciam dimidiam,  
 e quibus concisis ac contusis fiant species.

### \* Species resolventes.

**Zertheilende Kräuter.**

*Species discutientes.*

*Rp.* Herbae Absinthii,  
 „ Menthae piperitae,  
 „ „ crispae,  
 „ Rutae,  
 „ Salviae,  
 „ Sabiniae, singularum Uncias tres,

Florum Chamomillae vulgaris,  
 „ Sambuci,  
 „ Lavendulae, singulorum Uncias duas,  
 Seminis Anisi vulgaris,  
 „ Carvi, singulorum Unciam unam,  
 e quibus minutim concisis, contusis ac mixtis fiant  
 species.

### \* Spiritus aethereus.

**Aetherweingeist. Hoffmann's schmerzstillender mineralischer Liquor.**

*Liquor anodynus mineralis Hoffmanni. Spiritus sulphurico-aethereus. Spiritus Aetheris sulphurici. Spiritus Vitrioli dulcis.*

**Rp.** Aetheris Partem unam,  
 Spiritus Vini rectificatissimi Partes tres.

Misce.

Serva in vitris obturatis.

Sit limpidus, coloris expers, non acidus et ponderis specifici 0,8212 = 37° Ar. Bk. Aq. lev.

### Spiritus Aetheris acetici.

**Essigäther-haltiger Weingeist.**

*Spiritus acetico-aethereus. Liquor anodynus vegetabilis.*

**Rp.** Aetheris acetici Unciam unam,  
 Spiritus Vini rectificatissimi Uncias tres.

Misce.

Serva in vitris bene clausis et in loco frigido, vel para ex tempore.

Sit decolor, limpidus, ponderis specifici 0,845 = 31° Ar. Bk. Aq. lev.

Ceterum Aetheris acetici instar se habeat.



### \* Spiritus Aetheris chlorati.

**Aethylchlorür-Weingeist. Salzätherweingeist.  
Versüsster Salzgeist.**

*Spiritus muriatico-aethereus. Spiritus Salis dulcis.*

*Rp.* Natrii chlorati, bene siccati et grosso modo pulverisati Uncias sedecim,

Pulveris subtilissimi Mangani hyperoxydati optimi  
Uncias sex.

Bene mixta immitte in retortam vel cucurbitam, balneo arenae impositam et affunde:

Acidi sulphurici Nordhusani Libram unam,  
antea caute cum:

Spiritus Vini rectificatissimi Libris quatuor mixtam. Luti bene siccatis, institue distillationem igni lenissimo, sensim aucto. In excipulum bene refrigerandum circiter Unciae triginta sex fluidi eliciendae sunt. Destillatum, pauxillo lactis Calcariae vel Magnesiae ustae mixtum tamdiu, interdum agitando, reponendum est, donec Charta exploratoria coerulea immissa rubedinem amplius non assumat. Tum decanta et iterata distillatione rectifica.

Spiritus Aetheris chlorati in lagenis bene obturatis et in loco frigido servetur.

Sit decolor, limpidus, perfecte volatilis, saporis et odoris proprii, aromatici, aetherei, ponderis specifici 0,845 = 31° Ar. Bk. Aq. lev.

Charta exploratoria coerulea immissa nec mutetur, nec admixto soluto Argento nitrico praecipitetur.

### \* Spiritus Aetheris nitrosi.

**Salpeteräther-Weingeist. Versüsster Salpetergeist.**

*Spiritus Nitri dulcis. Spiritus nitrico-aethereus.*

*Rp.* Kali nitrici depurati Libram unam,  
Acidi sulphurici Nordhusani Uncias octo,  
Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Spiritui Vini in cucurbita vitrea, lente instillando, admisceatur Acidum sulphuricum. Mixtura refrigerata affundatur Kali nitrico in retorta vitrea, excipulo, ope luti farinosi seu vesicarum, adaptato, instituaturn destillatio in balneo arenae, calore lenissimo, donec remanentia fere sicca sit.

Tum Spiritum obtentum addita quantitate sufficiente Magnesiae ustae interdum bene agita, quo facto liquorem decantatum novae destillationi subjice lenissimo calore.

Serva in loco frigido in vitris capacitatis Unciarum duarum ad trium, epistomiis suberinis et sigillo bene munitis.

Sit limpidus, coloris fere expers; ab acido plane liber, quamquam tempore facile acescit; perfecte volatilis; saporis et odoris proprii, grati, aetheri et admixto Argento nitrico solutio vix mutetur. Ponderum specificum ejus sit 0,845 = 31° Ar. Bk. Aq. lev.

## Spiritus Angelicae compositus.

**Zusammengesetzter Angelikageist.**

*Spiritus theriacalis.*

*Rp.* Radicis Angelicae Libram unam,  
 „ Valerianae,  
 Baccarum Juniperi, singularum Uncias tres.

Incisis, contusis ac vesicae destillatoriae immissis affunde:

Spiritus Vini rectificati Libras sex,  
 Aquae communis quantum satis.

Post macerationem per viginti quatuor horas destillando eliciantur Librae sex, in quibus solve:

Camphorae Unciam et dimidiam, et filtra.

Sit limpidus, decolor; odoris Angelicae, spirituosus et camphorati; saporis parisi; ponderum specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.



\* **Spiritus camphoratus.****Kamphergeist.***Spiritus Vini camphoratus. Tinctura Camphorae,  
Alcohol camphoratum.***Rp.** Camphorae tritae Unciam unam,  
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Stent in loco frigido ad Camphorae solutionem usque.

Filtra.

Serva in vitro obturato.

Sit clarus, decolor; odoris Camphorae, spirituosi, insignis; ponderis specifici 0,8808 = 23° Ar. Bk. Aq. lev. Addito pari pondere Aquae destillatae lactescat, eliminata nunc demum Camphora.

\* **Spiritus Cochleariae.****Löffelkrautgeist.***Alcohol Cochleariae destillatum.***Rp.** Herbae Cochleariae florecentis, recentis, Libras  
duodecim.

Contusis ac vesicae destillatoriae immissis, affunde:

Spiritus Vini rectificati Libras sex,

Aquae communis quantum satis.

Destillent Librae sex.

Serva in vitro obturato.

Sit clarus, decolor; odoris ac saporis Cochleariae insignis, spirituosi; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

\* **Spiritus Ferri chlorati aethereus.****Chloreisenhaltiger Aetherweingeist. Schmerzstillender Eisenliquor. Eisenhaltiger Schwefeläthergeist.***Liquor anodymus martialis. Spiritus sulphurico-aethereus ferrugineus. Spiritus Aetheris ferratus.**Loco: Tincturae tonico-nervinae Bestuscheffi.***Rp.** Liquoris Ferri sesquichlorati Unciam dimidiam,  
Spiritus aetherei Uncias octo.

Mixta in lagenis vitreis cylindraceis bene obturatis radiis solis tam diu expone, donec color plane evanuerit. Postea vero in loco non aprico vel umbrato sepone liquorem a solutione Ferri aquosa separatum, ut colorem subflavum adipiscatur.

Sit limpidus; colore subflavo; odoris Spiritus aetherei; saporis aetherei, styptici, ferrei; cum Tinctura Gallarum nigrescat instillatoque Liquore Kalii ferro-cyanati flavi coerulescat. Pondus specificum sit 0,835 usque ad 0,840 = 33° Ar. Bk. Aq. lev.

In centum Partibus continet Partem unam Ferri.

## Spiritus Formicarum.

**Ameisengeist.**

*Alcohol Formicarum destillatum.*

*Rp.* Formicarum viventium, a quisquiliis mundatarum,  
Libras duas,  
Spiritus Vini rectificati Libras quatuor,  
Aquae communis Libras duas.  
Destillando elice Libras quatuor.

Serva in vitro probe obturato.

Sit clarus, decolor; odoris grati, acidulo-spirituosi; cum Aqua destillata permixtus, paululum lactescat; colorem Chartae exploratoriae coeruleae in pallide-rubrum vertat; sit ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

## \* Spiritus Frumenti.

**Fruchtbranntwein.**

Liquor spirituosus venalis, cuique notus.

Sit limpidus; incolor vel subflavescens; odoris et saporis spirituosus purioris et ponderis specifici 0,944 ad 0,940 = 10° usque ad 11° Ar. Bk. Aq. lev.

Solummodo e frumento paratus scopo pharmaceutico inservit.

## Spiritus Juniperi.

**Wachholderbeerengeist.**

*Rp.* Baccarum Juniperi contusarum Libram unam,



Spiritus Vini rectificati Libras quatuor,

Aquae communis quantum satis.

Macera per viginti quatuor horas et destillando elice Libras quatuor.

Serva in vase vitreo.

Sit limpidus, decolor; odoris ac saporis juniperini, spirituosus; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

### \* Spiritus Lavendulae.

**Lavendelgeist.**

*Alcohol Lavandulae destillatum.*

Paratur eodem modo ut Spiritus Juniperi e Floribus Lavendulae.

Serva in vase vitreo

Sit limpidus, decolor; odoris ac saporis Florum Lavendulae, spirituosus; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

### Spiritus Rosismarini.

**Rosmaringeist.**

Paratur eadem ratione uti Spiritus Juniperi ex Herba Rosismarini contusa.

Serva in vasis vitreis.

Sit limpidus, decolor; odoris ac saporis Rosismarini; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

### \* Spiritus Saponis.

**Seifengeist.**

*Spiritus saponatus. Alcohol saponatum.*

*Rp.* Saponis Hispanici rasi Libram unam,

Spiritus Vini rectificati Libras tres,

Aquae Rosarum Libram unam.

Solve digerendo in vase vitreo, ac spiritum refrigeratum filtra.

Serva in vitro obturato ac in loco non nimis frigido.

Sit coloris subflavi; lucidus, clarus, tactu pinguis, quassatus spumescens; odoris ac saporis spirituosi-saponacei; ponderis specifici 0,9497 = 9° Ar. Bk. Aq. lev.

## Spiritus Serpylli.

### Quendelgeist.

Paratur eadem ratione uti Spiritus Juniperi ex Herba Serpylli concisa.

Serva in vasis vitreis.

Sit limpidus, decolor; odoris ac saporis Serpylli; ponderis specifici 0,8854 = 22° Ar. Bk. Aq. lev.

## Spiritus Sinapis.

### Senfgeist.

*Rp.* Olei Sinapis aetherei Scrupulum unum,  
Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam.

Misce.

Paratur ex tempore.

## \* Spiritus Vini rectificatissimus.

### Höchst rectificirter Weingeist. Alcohol.

#### *Spiritus Vini Alcohol.*

Praeparatum officinarum chemicarum fermentatione vinosa obtinetur. Interdum Spiritus Vini rectificatissimus venalis satis purus, quod attinet ad saporem et odorem, occurrit, si non, methodo sequenti purificandus est.

Inmitte Spiritum venalem in vesicam destillatoriam, tum admisce decimam sextam partem carbonis ligni recenter usti et grosso modo pulverisati. Stet saepius agitatus per aliquod tempus. Quo facto et lutis bene siccatis elice igne leni per destillationem.



Serva in vasis bene clausis et in loco frigido.

Sit coloris expers, limpidus, perfecte volatilis, inflammabilis, odoris et saporis puri, spirituosus et ponderis specifici 0,850 = 30° Ar. Bk. Aq. lev.

Inter manus tritus vix ullum odorem Oxydi hydrati Amyli (Fermentolei sic dicti) prae se ferat. Aqua hydrosulphurata admixta non perturbetur.

### \* Spiritus Vini rectificatus.

**Rectificirter Weingeist.**

*Rp.* Spiritus Vini rectificatissimi Libras sex,  
Aquaе destillatae Libram unam.

Misce.

Serva in loco frigido et in vitro bene clauso.

Sit ponderis specifici 0,876 = 24° Ar. Bk. Aq. lev.

### Spongia cerata.

**Wachsschwamm.**

*Spongia officinalis cerata.*

Spongiae marinae, foraminibus parvis perviae, a lapidibus et sordibus liberatae ac siccatae, immergantur Cerae citrinae liquefactae, quamdiu bullae aerae exeant, tunc adhuc calentes sub prelo tepido arctissime comprimantur, ibique relinquuntur, usque dum refrixerint. Spongiae refrigeratae a Cera superflua mudentur.

### Spongia compressa.

**Pressschwamm.**

Spongas marinas electas foraminibus parvis pervias, a partibus heterogeneis liberatas, in frustra oblonga discinde, Aqua communi fervida humecta et funiculis dense et fortiter ita constringe, ut e singulis frustris cylindri formentur ad digitum fere longi, qui constricti servantur.

\* **Spongia marina.****Meerschwamm.**

**Spongia officinalis** Linn., **Phytozoon marinum.**

Substantia notissima, elastica, liquores sorbens.

Spongiae tenuiores, pallidiores, poris minoribus praeditae, optimae, et Spongiis obscurioribus cum poris majoribus praeferendae sunt.

Sint a concrementis lapideis mundatae.

**Stibium purum.****Reines Spiessglanz. Reiner Antimonkönig.***Regulus Antimonii purus.*

*Rp.* Stibii sulphurati venalis Partes centum,  
 Ferri Partes quadraginta duas,  
 Natri sulphurici sicci Partes decem,  
 Pulveris Carbonis Partes tres et trientem.

Immitte in crucibulum, usque ad tertias quartas ( $\frac{3}{4}$ ) partes iis implendum, latere tectum, excandefac in fornace ventu adjuvante sub igne sensim aucto, funde per horam dimidiam. Post refrigerationem frange crucibulum, exime massam et separa metallum ope Aquae a scoriis.

(Si Stibium, plumbo privatum, in mercatu, ut saepius fit, occurrit, haec prima operatio omittenda, et Regulus statim methodo sequenti purificandus est.)

Misce: Stibii, eo modo obtenti, pulverati Partes decem

cum: Stibii sulphurati venalis Parte una

et: Natri carbonici sicci Partibus duabus,

et funde in crucibulo Hassiaco, latere tecto, per horam, interdum massam ea cautela agitans, ne prunae in massam fluentem incidant.

Regulum, e crucibulo fracto exemtum et a scoriis



purificatum funde in crucibulo altero, et misce cum Natri carbonici sicci Parte una et semis, iterum per horam saepius agitando.

Tum repete tertia vice hanc operationem in crucibulo tertio, Parte una Natri carbonici sicci admixta. Si metallum, a scoriis separatum, et tubulo ferruminatorio excandefactum adhuc odorem alliaceum spargit, operatio dicta quarta vice repetenda est.

Metallum purum serva.

Stibium est albicans, splendoris stanneo-metallici, radiatum crystallinum, valde fragile et friabile, calore nondum ad rubedinem aucto fusibile, calore usque ad albedinem aucto volatile, et ponderis specifici = 6,7. Acido nitrico digestum quidem oxydatur, sed non solvitur.

Stibium, Sulphure excandefactum, edat sulphuretum, in Acido hydrochlorato sine ullo residuo solubile. Metallum, in Aqua regia solutum, et Liquore Ammoniaci hydrosulphurati praecipitatum, sedimentum edat, quod reagentem in excessu admixto perfecte resolubile sit. Denique metallum, tubulo ferruminatorio excandefactum, nec odorem peculiarem Acidi sulphurosi, nec odorem alliaceum Acidi arsenicosi spargat.

## Stibium oxydatum.

**Spiessglanzoxyd. Antimonoxyd.**

*Antimonium oxydatum.*

*Rp.* Stibii sulphurati nigri subtilissime pulverisati  
Libram unam.

Immitte in cucurbitam satis amplam, vitream, collo longiore instructam, et admisce iterata vice:

Acidi hydrochlorati venalis Libras quatuor.

Stent per noctem sub divo. Die sequenti calefac miscelam caute et sub divo usque ad ebullitionem tam diu, donec extricatio gasis cessaverit. Solutionem refri-

geratam dilue caute portiunculis Aquae eo modo, ut praecipitatum permanens non exoriatur, tum filtra in patinam porcellaneam, et evapora in ea sub divo, donec Libra una et semis supersint. Tum infunde, bacillo vitreo perpetuo agitans, in vas murrhinum vel ligneum, quod

Aquae fontanae calidae Libras triginta continet.

Si fluidum supernatans addita nova exigua copia Aquae non amplius perturbatur, immitte sedimentum in manicam Hippocratis, e linteo confectam, et ablue diligentissime, Aquam fontanam infundens, agitando et decantando. Tum misce sedimentum ablutum in patina porcellanea cum Aqua destillata, et adde massae pulti-formi, calorem blandum adhibens et agitans, liquorem filtratum, e:

Natri carbonici crystallisati depurati Unciis duabus et: Aquae destillatae Unciis sex paratum, vel tantum ejus, ut fluidum reactionem subalcalinam praebet, et Acidum carbonicum non amplius evolvatur. Tum filtra et serva Stibium oxydatum ablutum et siccatum in vase clauso.

Sit album, inodorum, insipidum, leni calore fusibile, magis exaestuatum colorem flavum assumens et volatile. Tartaro depurato mixtum et Aqua destillata digestum in ea plane solubile sit. Acidum hydrochloratum purum praeparatum sine residuo solvat.

### \* **Stibium sulphuratum aurantiacum.**

**Pomeranzenfarbenes Schwefelantimon. Goldschwefel.**

*Sulphur auratum Antimonii. Sulphur stibiatum aurantiacum.*

*Rp.* Natri carbonici crystallisati Libras tres.

Solve in lebetes ferreo, satis capaci in:

Aquae fontanae calidae Libris quindecim.



Quo facto, admisce semper agitans miscelam pultam, antea e:

Calcariae recenter ustae Libra una  
et: Aquae fontanae calidae Libris sex  
paratam, tum adde:

Sibii sulphurati laevigati puri Libras duas  
et: Sulphuris depurati Uncias quatuor.

Coque Aquam evaporatam interdum restituens, per horas circiter duas vel tam diu, donec color griseus evanuerit, quo facto, tege lebetem operculo apto et post refrigerationem decanta. Filtratione separa lixivium limpium a sedimento, et immitte in lagenas vitreas. Residuum coque denuo cum:

Aquae communis Libris sex  
et filtra. Fluida obtenta mixta et limpida evapora in eodem lebete ferreo sub igne fortiore usque ad punctum crystallisationis. Crystallos obtentas abluere cum Aqua destillata, cui pars vicesima Liquoris Natri caustici admixta est.

Libram unam harum crystallorum, in aëre siccatarum, opalescentium, flavo-albidarum solve in:

Aquae fontanae fervidae Libris quinque,  
filtra, et dilue cum:

Aquae fontanae Libris viginti quinque.

Solutioni dilutae, quae, deficiente vase murrhino satis capaci, in vas ligneum emittenda est, adde miscelam refrigeratam et decantatam, antea ex:

Acidi sulphurici Anglici Unciis quatuor cum  
dimidia

et: Aquae fontanae Libris octo  
paratam, sollicitè agitans, et eo modo, ut fluidum in radio et celeriter lixivio addendum sit. Haec operatio optime sub divo perficienda est.

Sedimentum ortum exprime inter strata e charta bibula alba confecta, vel melius in sacco linteo, ablue sollerter cum Aqua destillata frigida et serva praeparatum siccatum et contritum in vasis bene clausis in loco obscuro et tepido.

Sit pulvis rubro-aurantiacus, valde depingens, vel massa leviter cohaerens; odoris debilis sulphurei et saporis paris dulciusculi. In Aqua solvi non potest. Exaestuatum intumescit et comburitur, odorem Acidi sulphurosi spargens. In aëre quidem persistit, sed radiis solis et atmosphaerae communiter expositum, assumit colorem pallidiorem. Acidum hydrochloratum concentratum et calefactum, emissione gasis Acidi hydrothionici, non perfecte, sed pro parte tantum praeparatum solvit, sulphur relinquens.

Sit bene clotum et ab Arsenico liberum, quod methodo, in descriptione Stibii sulphurati nigri dicta, explorandum est. In vase clauso cum Liquore Ammoniaci caustico digestum sit perfecte et sine residuo fusco vel albido-flavo solubile.

### \* Stibium sulphuratum nigrum.

Schwarzes Schwefel-Antimon. Schwarzes Schwefel-Spiessglanz.

*Antimonium crudum.*

Native occurrit et eliquatione leni igne obtinetur. Id, quod e Rosenau in Hungaria superiori advehitur, non semper ut plerumque traditur, ab Arsenico liberum est.

Format plerumque frustula conico-truncata, e crystallis metallice splendentibus, nigro-griseis, acicularibus, radiatim dispositis, friabilibus, digitos inquinantibus, composita. Aëre persistens, Aqua et Spiritu Vini rectificatissimo non solubile est, exaestuatum vapores Acidi sulphurosi emittit, et Acidum antimoniosum, sic dictum Cinerem Antimonii, relinquit. Acido hydrochlorato calido et concentrato, sub emanatione gasis hydrothionici, fere penitus solvitur.



Sit ab Arsenico liberum.

Ad vestigia Arsenici, in eo contenti, indaganda haec methodus optima est.

Natro nitrico detonandum, et massa detonata residua Aqua destillata decoquenda est. Tum fluidum filtratum, Acido sulphurico rectificato commixtum, usque ad siccum evaporandum est.

Hoc residuum denique in Aqua destillata solvendum est, et apparatu Marshiano inquisitum, nulla vestigia Arsenici praebat.

### \* Stibium sulphuratum nigrum laevigatum.

**Geschlemmtes schwarzes Schwefelantimon oder Schwefelspiessglanz.**

*Antimonium crudum praeparatum.*

Antimonium sulphuratum nigrum crudum, ab Arsenico liberum, in mortario ferreo contritum et per cribrum setaceum texturae angustissimae trajectum, super lapidem expolitum et durum, affusa parva quantitate Aquae in pulverem subtilissimum redigendum est. Operatio loco tepido perficienda est.

Serva in vase bene clauso.

### \* Stibium sulphuratum rubeum.

**Rothes Schwefelantimon. Mineralkermes.**

*Kermes minerale. Sulphur stibiatum rubeum.*

*Rp.* Stibii sulphurati nigri puri Uncias quatuor,  
Natri carbonici sicci Unciam unam.

Pulverisata et bene mixta immitte in crucibulum Hassiacum, satis capax, latere tectum, colloca in fornacem, et ventu adjuvante, funde calore, usque ad rubedinem aucto tam diu, donec massa lente fluens et interdum agitata, amplius non intumescat.

Massam fusam funde in lapidem vel laterem,

post refrigerationem contere, ut pulvis subtilissimus existat. Tum immitte in patinam porcellaneam et admisce Unciae cuilibet Hepatis Antimonii sic dicti solutionem, e:

Natri carbonici crystallisati Unciis duabus  
et: Aquae destillatae Unciis sedecim  
paratam, coque, saepius agitando, in vase non aperto per horam et filtra lixivium adhuc calidum.

Tum decanta post refrigerationem lixivium limpidum a sedimento, coque residua in filtro et in patina porcellanea contenta denuo cum lixivio, et repete hanc operationem tam diu, donec praecipitatio Stibii sulphurati rubei satis copiosa hoc modo exoriatur. Praeparatum obtentum edulcora sollerter Aqua destillata frigida tam diu, donec Charta exploratoria rubra colorem coeruleum amplius non assumat, exprime inter chartam bibulam albam, sicca loco tepido et obscuro. Contere. Quo facto, conserva in vitro bene clauso, nigro.

Stibium sulphuratum rubeum sit pulvis laevis, subtilis, rubro-fuscens, sub microscopio crystallula conspicua praebens, inodorus, insipidus. In Aqua frigida fere perfecte insolubile sit, Aqua bullienti passim decomponatur.

Cum Aqua frigida conquassatum limpidum defiltratum et calefactum perfecte avolat. Acidum hydrochloratum dilutum jam in frigore subducatur Oxydum Antimonii. Sit in Acido hydrochlorato concentrato perfecte, in Liquore Kali caustici imperfecte, in Liquore Ammoniaci caustico tantum pro minima parte solubile. Natro nitrico detonatum et tum methodo cognita in apparatu Marshiano exploratum vestigia nulla Arsenici praebet.

### \* Stipites Dulcamarae.

#### Bittersüss - Stengel.

Solanum Dulcamara Linn., frutex scandens indigenus, locis humidis et paludosis ad rivulos frequens. Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Solanaceae syst. natur.



Caules ramive sunt lignosi, tenaces, circiter calamum scriptorium crassi, pedes duas ad quatuor longi, subangulati, subflexuosi, saepe verrucosi, et cicatricibus ramorum et petiolorum alternorum notati; recentes odoris subvirosi, siccati fere inodori, saporis primum subamari, dein dulcis. Cortex exterior est subfusco-flavus, rugosus, interior albus, liber subviridis et tela lignosa viridi-flava, medulla saepe evanescens.

Collige stipites biennes vel triennes. Ne confundantur cum caulibus Lonicerae Caprifolii et Solani nigri. Caules Lonicerae Caprifolii sunt tenuiores, cylindrici, saporis amari, dein non dulcis, caules Solani nigri nec odore nec sapore Stipitum Dulcamarae gaudent.

## \* Strychninum nitricum.

### Salpetersaures Strychnin.

Praeparatum officinarum chemicarum, neutralisatione Strychnini Acido nitrico diluto, evaporatione solutionis filtratae et crystallisatione obtentum.

Format crystallula acicularia, decoloria, aëre persistentia, flexilia. Sunt nitoris sericei, odoris nullius, saporis amarissimi, in Aqua fervida multo facilius solubilia, quam in frigida, in Aethere dissolubilia. Spiritus Vini rectificatissimus minus facile ea solvit, quam Aqua.

Serva cautissime.

Praeparatum in cochleari e platina confecto excandefactum decomponitur, carbonem relinquens, qui fortius exaestuatus perfecte comburit. Sit in Spiritu Vini rectificatissimo perfecte solubile. Si Strychninum Brucino inquinatum est, admixto Acido nitrico concentrato colorem intense rubrum assumit, qui calore adhibito in flavum, et admixta solutione Stanni chlorati in purpureo-violaceum transit. Admixtio exiguae quantitatis Brucini pro usu medicinali vix ullius momenti est. Solutiones praeparati Chartam exploratoriam non permutent.

## Succi Herbarum.

### Kräutersäfte.

Plantae recentes, aut earum partes contundantur in

mortario lapideo, et prelo exprimantur. Succum expressum per linteum cola.

Parentur quotidie recenter et ex tempore.

### \* Succinum.

#### **Bernstein.**

Bitumen, e resina quadam vegetabili ortum, in alluviis ad oras marinas tangentibus, praesertim Borussiae, effoditur, vel piscendo hauritur.

Frustula sunt obtuso-angulata, pellucida, rarius opaca, nitentia, fragilia, citrina aut e flavo-fusca, fractura plano-conchoidea, prunis imposita odorem peculiarem spargentia.

In Spiritu Vini rectificatissimo, Oleis aethereis et pinguibus vix quidem solubile est. Destillatione Acidum succinicum exhibet et decomponitur.

### \* Succus Liquiritiae crudus.

#### **Roher Lakritzensaft.**

Venalis e radicibus recentibus Liquiritiae coctione et evaporatione cum Aqua paratus occurrit. Succus Calabrensis plerumque praestat. Est fusco-niger, in cylindros formatus, compactus, fractura maxime nitens, saepius foliis Lauri involutus, flexione cito fragilis; in Aqua maxima ex parte solubilis, odoris debilis, peculiaris; saporis dulcis, haud ingrati, subacris.

Ne adustus, neve Cupro inquinatus sit, quod interdum forma metallica immixtum jam oculis dignoscitur. Si succus metallum solum continet, mediante Ferro polito exploratur.



### \* **Succus Liquiritiae depuratus.**

**Gereinigter Süßholzsafft. Gereinigter Lakritzensafft.**

*Extractum Liquiritiae depuratum. Succus Glycyrrhizae depuratus.*

Bacilli Succii Liquiritiae crudi optimae indolis in dolio extractorio, stratis altero alteri impositis, stramine interjecto macerentur cum Aquae communis frigidae ea quantitate, ut obtegantur, per viginti quatuor horas et liquido ope strophingis emisso maceratio eodem modo, quoties opus erit, cum nova quantitate Aquae reiteretur. Liquores perfecte limpidi inspissentur lege artis ad siccitatem et redigantur in pulverem.

Sit pulvis fuscus, in aëre facile humescens; saporis dulcissimi, sub finem acrescentis, non empyreumatici. Solutio vix sedimentum relinquat; Ferrum politum, ea imbutum, Cupro ne obducatur.

### \* **Sulphur citrinum.**

**Gemeiner Schwefel. Stangenschwefel.**

Nativum in regionibus vulcanicis occurrit, et eliquatione a sordibus depuratur; etiam e Pyrite sublimatione expellitur, postea funditur.

Sunt massae subcylindricae, laete citrinae, nitidae, fere opacae, fragiles; tritae odoris debilis, sed proprii, saporis parvis pauci, ponderis specifici 1,99 ad 2,00. Sulphur est inflammabile, sine residuo volatile, in Spiritu Vini absoluto, Aethere, Oleis aethereis et pinguis haud insolubile. Triturando negative-electricum fit.

### \* **Sulphur depuratum.**

**Gereinigter Schwefel. Gewaschene Schwefelblumen.**

*Flores Sulphuris loti. Flores Sulphuris depurati.*

*Sulphur sublimatum depuratum.*

Sulphur sublimatum venale, vasi ligneo ingestum,

primum Aqua communi frigida repetita vice, demum Aqua destillata agitando abluatur, donec ab adhaerente acido liberatum sit. Tunc a fluido separatum siccetur, et per cribrum trajiciatur.

Serva in vase bene obturato.

Sit pulvis subtilis; coloris pallidioris, quam Sulphur sublimatum venale; inodorum; igne admoto sine residuo comburens; ab Acido sulphurico liberum sit, et Aqua destillata cum illo mixta atque conquassata, dein filtro separata, nec Chartam exploratoriam coeruleam mutet, neque, affuso Liquore Baryi chlorati, turbetur. Si cum Liquore Ammoniaci caustico digestum est, liquor filtratus, dein Acido hydrochlorato supersaturatus, nullum praecipitatum citrinum, arsenicale edat.

### \* Sulphur praecipitatum.

**Niedergeschlagener Schwefel. Schwefelmilch.**

*Lac Sulphuris.*

*Rp.* Calcariae recenter ustae Libram unam.

Exstingue in lebete ferreo, satis capaci, cum:

Aquae communis fervidae Libris sex,

et adde:

Sulphuris depurati Libras duas et Uncias duas,

Aquae communis Libras viginti quatuor.

Miscelam coque per horam inter continuam agitationem et restitutionem Aquae evaporatae, tum lebetem ab igni remotum operculo tege et subsidere fac. Lixivium, a sedimento defusum, immitte in lagenam, bene claudendam.

Residuum in lebete coque de novo cum:

Aquae communis Libris quindecim

per horam dimidiam et iterum subsidere fac. Fluida obtenta decantata, limpida stent in lagenis bene obturatis per aliquot dies, filtra, si necessarium est, et dilue in vasi idoneo ligneo cum tanta Aquae quantitate, ut



ponderis sint Librarum quadraginta. Tum sub continua agitatione ope baculi lignei infunde miscelam, ex:

Acidi hydrochlorati puri Libris tribus, et:

Aquae fontanae Libris sex

paratam, vel tantum hujus miscelae, ut portiuncula defiltrata fluidi, Acido hydrochlorato mixta, solummodo opalescat, vel charta exploratoria rubra immissa paululum adhuc coerulecat. Haec operatio propter copiosam eructationem gasis hydrothionici sub divo perficienda est, et respiratio gasis nocivi, quantum fieri poterit, evitetur. Aqua supernatante illico decantata, sedimentum sollerter edulcora Aqua fontana. Aqua de novo decantata, admisce sedimento miscelam ex:

Acidi hydrochlorati puri Unciis quatuor,

Aquae fontanae Libris quatuor

paratam, ut puls humida existat. Sepone agitatione continuata per aliquot horas, immitte in manicam Hippocratis, et edulcora diligenter primum Aqua fontana, tum Aqua destillata. Exprime manicam primum ope manus, tum laminis ligneis interpositam, et subjice prelo. Exsicca sedimentum perfecte in loco tepido, transjice massam siccam per cribrum et serva in vasis bene clausis.

Sulphur praecipitatum est pulvis subtilissimus, albido-vel griseo-flavescens, in Aqua insolubilis, fere inodorus et insipidus.

Excandefactus sit perfecte volatilis vel residuum minimum tantum relinquens. Aqua destillata, cum eo cocta, defiltrata, admixto Liquore Barytae nitricae non praecipitetur, vel vix opalescat. Inquinatio per Arsenicum ut in Sulphure depurato exploranda est.

### \* Sulphur sublimatum.

Sublimirter Schwefel. Schwefelblumen.

Flores Sulphuris.

Paratur in officinis propriis.

Pulvis citrinus, subtilis, tactu laevis, fere inodorus et insipidus, saepius ob acidum adhaerens acidulus.

Qualitates chemicae sunt Sulphuris citrini.

Rarissime Sulphur sublimatum purum occurrit, itaque pro usu interno medicinali Sulphur sublimatum lotum, (Sulphur depuratum), semper adhibendum est.

### \* Syrupus Althaeae.

**Eibisch-Zuckersaft.**

*Rp.* Radicis Althaeae, minutim concisae, Unciam unam.

Perfunde:

Aquae fervidae sufficiente quantitate, ut supersint  
Unciae quindecim.

In liquore sine expressione colato dissolve:

Sacchari albissimi contusi Libras duas.

Fiat ebullitione unica in lebetæ stanneo, vel cupreo stanno obducto, syrupus, quem per pannum laneum cola, et penitus refrigeratum conserva.

Sit coloris subflavi.

### Syrupus Amygdalarum.

**Mandel-Zuckersaft.**

*Syrupus amygdalinus. Syrupus emulsivus.*

*Rp.* Amygdalarum dulcium Uncias decem,

Amygdalarum amararum Uncias duas.

Macera per noctem in Aqua communi frigida et decortica amygdalas. Tum in mortario lapideo ope pistilli lignei cum pauxillo Aquae ad pulvem tenerrimam contusis sensim terendo adde:

Aquae communis Libras duas.

Fortiter exprimendo cola per pannum laneum et in colatura Unciarum viginti solve:



Sacchari albissimi contusi Libras tres.  
 Calore lenissimo fiat in patina porcellanea syrupus,  
 cui, per pannum laneum colato, adde:  
 Aquae Florum Aurantii Uncias duas.  
 Sit coloris albidus, cum Aqua mixtus lactescens.

## Syrupus Capillorum Veneris.

**Frauenhaar-Zuckersaft.**

*Loco: Syrupi Florum Naphae seu Aurantii.*

*Rp.* Herbae Capillorum Veneris Unciam unam.

Superfunde:

Aquae fervidae quantitatem sufficientem, ut restet  
 liquoris colati Libra una et dimidia.

In eo dissolve:

Sacchari albi Libras tres cum dimidia.

Fiat lege artis syrupus, cui admisce:

Aquae Florum Aurantii Uncias sex.

Sit coloris subflavi.

## \* Syrupus Capitem Papaveris.

**Mohn-Zuckersaft.**

*Syrupus Papaveris. Syrupus Papaveris albi.*

*Syrupus diacodion.*

*Rp.* Capitem Papaveris, nondum plane maturorum,  
 seminibus exemptis, contusorum Unciam unam cum  
 dimidia.

Macerentur per viginti quatuor horas in:

Aquae fervidae quantitate sufficiente.

Probe digesta exprime fortissime, ut liquoris colati supersint Unciae novem cum dimidia.

Adde:

Sacchari albi Uncias sedecim.

Unica ebullitione fiat syrupus, quem cola.

Sit coloris e subflavo fusci.

## Syrupus Cerasorum.

**Kirschen-Zuckersaft.**

*Rp.* Cerasorum obscure-rubrorum, acidorum quantum placet.

Contusa cum nucleis stent per triduum, tum succum exprime, quem seponere donec leni fermentatione limpidus appareat.

In hujus succi filtrati Unciis viginti solve:

Sacchari albissimi Libras tres.

Semel ebulliendo fiat syrupus.

Sit coloris atro-purpurei.

## Syrupus Cinnamomi.

**Zimmt-Zuckersaft.**

*Rp.* Corticis Cassiae cinnamomeae contusae Uncias duas, Aquae Cinnamomi spirituosae Libram unam.

Digere in vase clauso per triduum; deinde liquorem exprime et cola, ut supersint Unciae undecim; in eo dissolve:

Sacchari albi Uncias duodeviginti.

Fiat lege artis leni calore syrupus, quem cola.

Sit coloris e rubente fusci.



## \* Syrupus communis.

**Gemeiner Zuckersaft.**

*Syrupus Hollandicus.*

Liquor spissioris consistentiae, coloris brunnei, saporis dulciusculi mucilaginosi, cuique notus.

Pro usu medicinali solummodo Syrupum communem adhibe, qui depuratione sacchari Indici obtinetur. Syrupus communis e fabricis sacchari, quae e betis saccharum extrahunt, rejiciendus propter odorem et saporem ingratum.

## \* Syrupus Corticum Aurantium.

**Pomeranzenschalen - Zuckersaft.**

*Syrupus Corticis Aurantii.*

*Rp.* Flavedinis Corticum Aurantium Uncias quatuor.

Minutim concisis affunde:

Vini albi Germanici vel Gallici

generosioris quantum satis, ac digere per triduum in vase clauso, ut supersint Unciae viginti et duae.

In liquore colato solve:

Sacchari albi Libras tres.

Semel ebulliendo fiat syrupus, quem cola.

Sit coloris e subflavo fuscii.

## Syrupus Ferri jodati.

**Jodeisen - Zuckersaft.**

*Rp.* Jodi Grana tria,

Ferri puri alcoholisati Grana duo.

In mortario lapideo tere cum aliquot guttulis Aquae destillatae et adde Aquae destillatae Drachmas duas. Solutionem coloris dilute viriduli separa ope filtri minoris et elue filtrum cum sufficiente quantitate Aquae destillatae, ut pondus totius liquoris sit Drachmarum trium.

Liquorem immitte in vitrum

Sacchari albissimi pulverati Drachmas quinque  
continens et solve ope balnei aquae.

Sit coloris fere expers.

Paratur ex tempore.

## Syrupus Foeniculi.

**Fenchelsamen - Zuckersaft.**

*Rp.* Seminum Foeniculi contusorum Uncias duas.

Perfunde:

Aquae fervidae sufficiente quantitate, ut supersint

Unciae quatuordecim.

In liquore colato solve:

Sacchari albi Libras duas.

Fiat leni igne syrupus.

Sit coloris e subflavo fusci.

## Syrupus Ipecacuanhae.

**Brechwurzel - Zuckersaft.**

*Rp.* Radicis Ipecacuanhae contusae Drachmas tres,

Aquae communis Uncias decem cum dimidia,

Spiritus Vini rectificatissimi Drachmas decem.

Stent in digestionem per horas viginti quatuor, tum filtra.

In liquoris filtrati Unciis undecim solve:

Sacchari albissimi Libram unam cum dimidia.

Fiat semel ebulliendo syrupus.

Sit coloris subflavi.

Uncia Syrupi Ipecacuanhae continet partes solubiles e Granis sex  
Radicis Ipecacuanhae.

## Syrupus Liquiritiae.

**Süßholz - Zuckersaft.**

*Syrupus Glycyrrhizae. Mel Liquiritiae.*

*Rp.* Radicis Liquiritiae concisae Uncias octo,



Macera per noctem in:

Aquae communis Libris tribus.

Liquor expressus et colatus semel ebulliat, tum leni igne evaporet, ita ut post refrigerationem et filtrationem supersint Unciae quatuordecim, in quibus solve:

Sacchari albi,

Mellis depurati, singulorum Libras duas.

Ebullitione unica fiat syrupus.

Sit coloris e flavido fusci.

### \* Syrupus Mannae.

**Manna-Zuckersaft.**

*Syrupus mannatus. Syrupus Sennae cum Manna.*

*Rp.* Foliorum Sennae Uncias quatuor,  
Seminis Foeniculi Unciam dimidiam,  
Aquae fervidae Libras duas.

Stent in digestionem, vase clauso, per aliquot horas.

In liquoris expressi et colati Unciis duodeviginti solve:

Sachari albi Libras duas,

Mannae Libram semis.

Leni igne redige in syrupum.

Sit coloris fusci.

### Syrupus Mororum.

**Maulbeer-Zuckersaft.**

Paratur eadem ratione uti Syrupus Cerasorum e succo fructuum Mori nigrae.

Sit obscure-ruber.

### Syrupus Papaveris Rhoeados.

**Klatschrosen-Zuckersaft.**

*Syrupus Rhoeados. Syrupus Papaveris rubri.*

*Rp.* Florum Rhoeados Uncias tres,

Aquae fervidae quantum satis.

Macera per noctem. E liquoris expressi Unciis viginti fiat cum:

Sacchari albi Libris tribus  
ebullitione unica syrupus.

Sit coloris ruberrimi.

### Syrupus Rhamni catharticae.

**Kreuzdorn - Zuckersaft.**

*Syrupus Spinae cervinae. Syrupus domesticus.*

Paretur e Baccis Rhamni catharticae recentibus et perfecte maturis, uti Syrupus Cerasorum.

Sit coloris e violaceo rubri.

### \* Syrupus Rhei.

**Rhabarber - Zuckersaft.**

*Syrupus Rhabarbari.*

*Rp.* Radicis Rhei concisae Unciam unam cum dimidia,  
Corticis Cassiae cinnamomeae Drachmas tres,  
Kali carbonici puri Drachmam unam.

Affunde:

Aquae fervidae Uncias tredecim.

Digere per noctem et liquoris expressi Unciis decem adde:

Sacchari albi Uncias duodeviginti.

Fiat semel ebulliendo syrupus, quem cola.

Sit coloris e rubro fusc.

### \* Syrupus Rubi Idaei.

**Himbeer - Zuckersaft.**

Paratur eodem modo e succo fructuum Rubi Idaei uti Syrupus Cerasorum.

Sit coloris lucide-rubri.



**Syrupus Senegae.****Senega - Zuckersaft.**

*Rp.* Radicis Senegae incisae Unciam unam,  
 Aquae communis Uncias undecim,  
 Spiritus Vini rectificatissimi Drachmas undecim.  
 Macera per biduum, tum fortiter exprime et filtra.  
 In liquoris filtrati Unciis undecim solve:  
 Sacchari albissimi Libram unam et dimidiam.  
 Fiat semel ebulliendo syrupus.  
 Sit coloris subflavi.

**\* Syrupus simplex.****Zuckersaft.**

*Syrupus Sacchari albi. Syrupus Sacchari.*  
*Syrupus albus.*

*Rp.* Sacchari albissimi Libras tres,  
 Aquae communis Uncias viginti.  
 Solvendo et semel ebulliendo fiat syrupus.  
 Sit coloris expers.

**Syrupus Succii Citri.****Zitronen - Zuckersaft.***Syrupus acetositis Citri.*

Paratur e succo fructuum Citri recenter expresso,  
 defaecato et filtrato, ceterum uti Syrupus Cerasorum.  
 Sit coloris subflavi.

**Syrupi** sint talis consistentiae, ut de margine vasis inclinati  
 minori copia profluentes, lente, et plerumque in fila ducti, stillent;  
 coloris liquidarum partium, et quidem utcumque saturati; Syrupo  
 Amygdalarum excepto, clari; odoris ac saporis partium proprii, et  
 modo praeparationis respondentis, sat saccharini. Nonnisi vetustiores  
 crystallos, nunquam vero alia sedimenta, demittant.

Plerique nunquam uno anno vetustiores, nonnulli multo recentiores tantum prostent.

Serventur in vitris, aut lagenis murrhinis vel porcellaneis, probe clausis, in loco frigido.

### \* Tamarindi.

**Tamarinden. Tamarindenfrüchte.**

*Fructus Tamarindi.*

*Tamarindus Indica* Linn., arbor Arabiae et Indiarum ambarum; Cl. XVI. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Leguminosae (Caesalpinieae) syst. natur.

Pulpa obscure nigro-fusca, compacta, acida, seminibus majusculis, duris, subfuscis, compressis, interdum fibris lignosis intermixta.

Saporis sint grate acidi; pulpa saporis acerbi, mucida, nigra, sicuti Cupro inquinata, removeatur.

Tamarindi Indiae orientalis iis Indiae occidentalis praestant.

### Tartarus ammoniacalis.

**Ammoniakhaltiger löslicher Weinstein. Ammoniak-Weinstein.**

*Tartarus solubilis ammoniacalis.*

*Rp.* Liquoris Ammoniaci caustici Uncias quatuor.

Inmitte in vas vitreum bene claudendum et solve leni calore, saepius agitans et vas aperiens:

Tartari depurati pulverisati Uncias quatuor vel quantum ejus solvitur, cautelam observans, ut Liquor Ammoniaci causticus paullum praevaleat. Fluidum adhuc fervidum filtra, tege vas, quod fluidum continet, lamina vitrea et sepone loco frigido, ut crystalli exoriantur. Lixivium decanta a crystallis. Adde lixivio, si requiritur,

Ammoniaci carbonici pulverisati tantam copiam, ut fluidum reactionis sit subcalinae, et subjice denuo, ut antea praescriptum est, crystallisationi.



Repete hanc operationem tam diu, quam diu crystalli e fluido largiantur. Crystallos collectas sicca interstrata chartae bibulae albae temperatura ordinaria.

Serva in vasi bene clauso.

Tartarus ammoniacalis format prismata pellucida, decolora, quatuor- ad sexlateralia, rhombica.

Sint odoris debilis ammoniacalis, saporis primum refrigerantis, tum subsalsi, pungentis, ammoniacalis, et facile in Aqua, sed non in Spiritu Vini rectificatissimo solubilia. Aëri exposita exhalatione gasis ammoniacalis et Aquae fatiscunt, exaestuata decomponuntur, carbonem relinquunt. Acidis admixtis praecipitatur e solutione Kali bitartaricum.

Crystalli, Calcaria recenter usta contritae, exhalant gas ammoniacale. Sint in Aqua perfecte solubiles. Solutio, quae reactionis neutralis sit, nec Aqua hydrosulphurata, nec Liquore Natri phosphorici praecipitetur. Praeparatum fere semper quantitates exiguas Kali sulphurici et Chloreti Kalii continet, quae methodis notis explorandae, sed pro usu pharmaceutico nullius momenti sunt.

### \* Tartarus boraxatus.

**Boraxweinstein. Löslicher Weinsteinrahm.**

*Cremor Tartari solubilis.*

*Rp.* Boracis Uncias sex.

Solve in vase porcellaneo in:

Aquae destillatae bullientis Libris quinque,  
tum admisce:

Tartari depurati Libram unam cum dimidia,  
et digere leni calore tam diu, donec Tartarus fere perfecte solutus sit. Tum filtra fluidum, et sepone loco frigido in vase murrhino per dies quinque, quo facto, decanta et filtra iterum. Dein fluidum in patina porcellanea primum igne libero, tum balneo aquae inter perpetuam agitationem ope spatulae porcellaneae tam diu evaporandum est, donec portiuncula exemta, massam vitro similem exhibens, conteri possit. Denique massa

sub calore leni, tam celeriter, quam fieri potest, exsiccanda et pulverisanda est. Pulvis statim in vitro, antea calefacto et optime claudendo, servandus est.

Tartarus boraxatus est pulvis albus, inodorus, sed saporis grate acidi, salsi et amariusculi, aëre facile humescens. Solutio aquosa est reactionis acidulae. Excandefactus decomponitur.

Sit in aequali pondere Aquae solubilis et solutio addito Liquore Ammoniaci hydrosulphurati et Natri phosphorici non turbetur.

Serva ut supra dictum.

## Tartarus crudus.

### Roher Weinstein.

Secernitur in doliis, quae vino recenti conservando inserviunt, praecipue in Francogallia, Lombardia et ad ripas Rheni.

Sunt crustae plus minusve crassae, subcrystallinae, durae, tactu asperae, fragiles, e vinis albis sordide albae, e rubris rutilae.

## \* Tartarus depuratus.

### Gereinigter Weinstein. Weinsteinkrystalle.

*Kali bitartaricum. Crystalli Tartari. Cremor Tartari.*

Paratur repetita solutione Tartari crudi, admixtis terra argillosa et albumine ovorum, et crystallisatione in officinis chemicis.

Est sal compactum in crystallis prismaticis, aëre persistentibus, duris, decoloribus, diaphanis, nitentibus, cohaerentibus, difficile in Aqua solubilibus, odoris nullius et saporis aciduli. In Spiritu Vini non solubilis est. Igne fortiori decomponitur, producta varia praebens, Kali carbonicum purum, olim Sal Tartari dictum, relinquens.



Tartarus sic dictus Venetianus Francogallico et Rhenano praestat. Venalis semper duas ad tres centesimas Calcariae tartaricae continet. A metallis sit liber, itaque solutio ejus aquosa admixta Aqua hydro-sulphurata nullum sedimentum fuscum edat. Tartarus coloris virescentis vel flaviusculi rejiciatur. Pulvis subtilissimus Tartari depurati vulgo Cremor Tartari vocatur.

### \* Tartarus ferratus pro balneis.

**Eisenweinstein zu Bädern. Unreine Eisenweinstein-Kugeln.**

*Globuli Tartari ferruginosi impuri. Globuli martiales impuri.*

*Rp.* Limaturae Ferri Uncias quatuor,  
Pulveris Tartari crudi Uncias sedecim.

Misce in vase figulino cum Aquae fontanae tanta copia, ut fiat massa pultiformis, tum digere in balneo aquae, Aquam evaporatam semper denuo compensans, tam diu, donec massa quasi resinosa appareat, quo facto exsicca et fiat pulvis grossus.

Serva in loco sicco.

Sit pulvis niger, nitens, ponderosus, saporis dulciusculi, styptico-ferrei; aëri humido expositus lente Aquam attrahit.

Sit in Partibus octo decemve Aquae bullientis sine sedimento nimis copioso solubilis.

### \* Tartarus ferratus purus.

**Reiner Eisenweinstein. Reine Eisenweinstein-Kugeln.**

*Globuli Tartari ferruginosi puri. Globuli martiales puri.*

Eodem modo, quo Tartarus ferratus pro balneis, sed e Tartaro depurato et Ferro puro parandus est.

Lamina ferrea, per tempus longius in solutione immissa, nullo modo Cupro obducatur.

\* **Tartarus natronatus.****Natron-Weinstein. Seignette-Salz.***Natro-Kali tartaricum. Sal polychrestum Seignette.**Rp.* Natri carbonici crystallisati Libras tres.

Solve in vase lapideo, stanneo vel cupreo, stanno bene obducto, in:

Aquae pluvialis bullientis Libris viginti et admisce liquori ebullienti, semper ope spatulae lignae agitans:

Tartari depurati Libras quatuor vel quantum ad neutralisationem requiritur, ut liquor tamen paullulum alcalinus sit. Tum dilue liquorem in:

Aquae pluvialis Libris duodecim usque ad quindecim,

immitte in vas murrhinum satis altum, et sepone in loco frigido per hebdomadem. Fluidum decantatum, et, si necesse est, filtratum, usque ad punctum crystallisationis evaporetur et tunc in loco frigido seponatur, ut crystalli concrecant. Crystalli collectae Aqua abluendae et inter chartam bibulam albam collectae leni calore siccandae sunt.

Tartarus natronatus format columnas magnas, decolores, interdum pellucidas, sed plerumque opacas, paullulum fatiscentes, recte rhombicas, sex- ad duodecim-laterales; saporis subsalsi, amaricantis. In Aqua facile solubiles sunt et excandefactae destruuntur.

Solutio sit perfecte neutra, nec Natro phosphorico soluto, nec Aqua hydrosulphurata praecipitetur.

\* **Tartarus stibiatus.****Brechweinstein. Weinsaures Antimonoxyd-Kali.***Tartarus emeticus. Stibio-Kali tartaricum.**Rp.* Tartari depurati et pulverisati Uncias quinque, Stibii oxydati Uncias quatuor,



## Aquae destillatae Uncias sex.

Exacte mixta immitte in patinam porcellaneam satis capacem, digere saepius spatula porcellanea agitans et Aquam evaporatam restituens, calore 60° ad 80° R. per horam unam ad horas tres tam diu, donec portiuncula massae exemptae in quindecim Partibus Aquae, exceptis paucis floccis brunneis, perfecte solubilis sit.

Tum adde:

Aquae destillatae Libras duas cum dimidia, coque per horam dimidiam et filtra solutionem adhuc calidam in vas vitreum vel porcellaneum. Crystallos, post aliquot dies secretas, separa a lixivio supernatante. Fluidum de novo usque ad punctum crystallisationis evaporandum est. Crystalli primae et secundae crystallisationis solutione in minima parte Aquae destillatae bullientis, filtratione solutionis calidae et iterata crystallisatione purificandae sunt.

Crystallos collectas, Aqua destillata ablutas, supra chartam bibulam albam stratas, et in aëre siccitas tere ad pulverem subtilissimum.

Serva caute in vitro bene clauso.

Tartarus stibiatus format octaëdra pellucida, coloris expertia, recte rhombica. Sunt odoris nullius, saporis primum dulciusculi, tum nauseosi metallici; in aëre fere persistentia, post aliquod tempus tamen subopaca. In tubulo vitreo subtus clauso exaestuata emittunt Aquam, tum colorem nigrum assumunt et decomponuntur, odorem peculiarem spargentia. Sint inter temperaturam ordinariam in quatuordecim usque quindecim Partibus Aquae solubilia, solutio, quae reactionis acidulae est, Aqua hydrosulphurata admixta, primum tantum colore fusco-rubro imbuatur, nec statim praecipitur. Sedimentum coloris dicti, quod in solutione Liquore Ammoniaci hydrosulphurati producitur, sit, liquore reagenti in excessu admixto, perfecte resolubile. Praeparatum, in cochleari parvo subconico, e ferro confectum, caute et lente supra lucernam cum Spiritu Vini calefactum, odorem tantum cognitum empyreumaticum Tartari, sed nullo modo odorem alliaceum spargat.

**Terebinthina cocta.****Gekochter Terpentın.**

*Rp.* Terebinthinae Laricis Partem unam,  
Aquaе communis Partes sex.

Destilla lento igne e vesica, stanno intus obducta, ac alembico et canali refrigeratorio stanno munita, tam diu, quam prodit oleum.

Residuum in vesica ex Aqua exemptum, in balneo aquae evaporare fac, donec pars lapidi infusa indurescat.

Serva.

Sit friabilis, subflava, tritura alba, odore debili.

Oleum, quod post destillationem ab Aqua, simul abstracta, separabis, loco Olei Terebinthinae depurati dispensare licet.

**\* Terebinthina communis.****Gemeiner Terpentın.**

*Pinus sylvestris* Linn., *Abies excelsa* Decand., arbores Germaniae, Cl. XXI. Ord. IX. syst. Linn. — Fam. Coniferae (*Abietinae*) syst. natur.

Balsamum est, e truncis vulneratis effluens.

Terebinthina est subfluida, tenax, granulosa, sordide flavescens, subdiaphana, odoris peculiaris, ingrati, saporis subacris, amaricantis.

*Pinus Pinaster* et *P. maritima* Terebinthinam Franco-gallicam praebent.

Pro usu veterinario adhibeatur.

**\* Terebinthina Laricis.****Venetianischer Terpentın.***Terebinthina Veneta.*

*Pinus Larix* Linn., *Larix Europaea* Decand.



arbor in montosis Europae meridionalis frequens, apud nos culta, Cl. XXI. Ord. IX. syst. Linn. — Fam. Coniferae (Abietinae) syst. natur.

Balsamum est naturale, vel sponte, vel e trunco sauciato stillans.

Sit subflavescens, pellucida, limpida, fluido-spissa, subtenax, in fila ductilis, in Spiritu Vini rectificatissimo solubilis, odoris haud ingrati terebinthinacei, peculiaris, saporis balsamico-amari.

### \* Theriaca.

#### Theriak.

*Electuarium Theriaca. Electuarium theriacale.*  
*Electuarium aromatico-opiatum. Electuarium opiatum.*  
*Electuarium thebaicum.*

*Rp.* Radicis Angelicae Uncias sex,  
 „ Serpentariae Virginianae Uncias quatuor,  
 „ Valerianae,  
 „ Scillae,  
 „ Zedoariae,  
 Corticis Cassiae cinnamomeae, singulorum Uncias  
 duas,  
 Cardamomi minoris,  
 Caryophyllorum,  
 Croci,  
 Myrrhae,  
 Ferri sulphurici puri,  
 Opii, singulorum Unciam unam,  
 Mellis depurati Libras sex.

Melli paululum calefacto addatur Opium, in Vini Madeirensis quantitate sufficiente subactum, deinde admisceantur caetera in pulverem redacta.

Serva in vase murrhino vel porcellaneo bene clauso.  
Theriacae hujus Unciae singulae continent Opii Grana circiter  
quinque.

Sit flava, demum fusco-nigra; spissa; odoris aromatici; saporis  
calidi, amari, subausteri.

### \* Tinctura Absinthii.

#### Wermuthtinktur.

*Rp.* Summitatum Absinthii Unciam unam.

Minutim concisae affunde:

Spiritus Vini rectificati Uncias sex.

Digere calore 24<sup>o</sup> usque 30<sup>o</sup> R. in cucurbita vel  
lagenae vitreae, quam vesica irrigata, acu perforata clau-  
seris, saepius conquassando, per hebdomadem. Tinc-  
turam refrigeratam exprime, ac infundibuli vitrei tecti  
ope per chartam bibulam filtra.

Serva in vitro probe obturato et in loco frigido.

Sit limpida, coloris e viridi fusc.

### \* Tinctura Aconiti.

#### Sturmhuttinktur.

*Rp.* Herbae Aconiti incisae Unciam unam.

Cucurbitae vel lagenae vitreae immissae affunde:

Spiritus Vini rectificati Uncias octo.

Digere calore 20 usque 24<sup>o</sup> R., saepius conquas-  
sando per hebdomadem. Tincturam refrigeratam in-  
fundibuli tecti vitrei ope per chartam filtra.

Sit coloris viridis.

### Tinctura Aconiti aetherea.

#### Aetherische Sturmhuttinktur.

*Rp.* Herbae Aconiti, minutim concisae, Unciam unam,  
Spiritus aetherei Uncias sex.



Saepius conquassando macera in vitro probe obturato calore 15<sup>o</sup> R. per septimanam. Exprime tincturam, et filtra ope infundibuli vitrei bene tecti.

Serva in loco frigido ac in vasis bene tectis.  
Sit coloris e fusco viridis.

### \* Tinctura Aloës.

#### Aloëtinktur.

Ex Aloë contrita uti Tinctura Aconiti paranda.

Sit coloris e nigro fusci.

### Tinctura Aloës composita.

#### Zusammengesetzte Aloëtinktur. Schwedische Tropfen.

*Elixir ad longam vitam. Tinctura pro vita producenda. Elixir Suecicum. Elixir Jernitzii.*

*Rp.* Aloës Drachmas novem,  
Boleti Laricis,  
Radiciſ Gentianae,  
„ Zedoariae,  
„ Rhei,  
Crocii,  
Theriacaſ, ſingulorum Drachmam unam,  
Spiritus Vini rectificati Uncias triginta et duas.  
Digere per ſex dies, exprime et filtra.  
Sit coloris e rubro fusci.

### \* Tinctura amara.

#### Bittere Tinktur.

*Rp.* Herbae Centaurii minoris,  
Fructuum Aurantiorum immaturorum,  
Radiciſ Gentianae, ſingulorum Uncias duas,  
„ Zingiberis Unciam unam.

Contusis ac concisis affunde:

Spiritus Vini rectificati Libras tres.

Ceterum paretur uti Tinctura Absinthii.

Sit coloris fuscii, paullum subviridis.

### \* Tinctura Ambrae composita.

**Zusammengesetzte Ambratinktur.**

*Tinctura Ambrae cum Moscho. Tinctura Ambrae  
composita aetherea.*

*Rp.* Ambrae griseae tritae,

Moschi, singulorum Scrupulum unum,

Spiritus aetherei Uncias duas et dimidiam.

Misce, digere calore 15<sup>o</sup> R., interdum conquassando,  
per septimanam donec Ambra penitus soluta sit et filtra  
tincturam.

Serva in loco frigido et in vasis vitreis, probe clausis.

Sit coloris flavescentis.

### \* Tinctura Arnicae.

**Wohlverleihntinktur.**

Paratur eadem ratione uti Tinctura Aconiti e Flo-  
ribus Arnicae incisis.

Sit coloris subfusco-flavi.

### \* Tinctura aromatica.

**Gewürztinktur.**

*Rp.* Corticis Cassiae cinnamomeae Uncias duas,

Cardamomi minoris,

Caryophyllorum,

Radicis Galangae,

„ Zingiberis, singulorum Unciam dimidiam.

Contusa digerantur cum:



Spiritus Vini rectificati Libris duabus.  
 Digestione per dies octo peracta, exprime et filtra.  
 Sit coloris e fusco rubri.

\* **Tinctura Asae foetidae.**

**Stinkasandtinktur.**

Paretur eadem ratione uti Tinctura Aconiti ex Asa foetida contrita.

Sit coloris e subflavo rufi.

\* **Tinctura Benzoës.**

**Benzoëtinktur.**

Paretur eadem ratione ut Tinctura Aconiti e Benzoë trita.

Sit coloris e subflavo rufi.

**Tinctura Benzoës composita.**

**Zusammengesetzte Benzoëtinktur. Commandeur-Balsam.**

*Balsamum Commendatoris. Tinctura balsamica.  
 Balsamum traumaticum.*

*Rp.* Benzoës Uncias quatuor cum dimidia,  
 Aloës Unciam dimidiam,  
 Balsami Peruviani nigri Unciam unam,  
 Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

Digerantur per triduum leni calore in vitro, vesica tecto, penitusque soluta filtrentur.

Serva in vitro obturato.

Sit coloris obscure-fusci, pellucens, odoris benzoici, spirituosus; saporis peramari; cum Aqua mixta lactescens.

**Tinctura Calami.****Kalmustinktur.**

Paratur eodem modo uti Tinctura Absinthii e Radice Calami incisa.

Sit coloris fusciscentis.

**\* Tinctura Cantharidum.****Spanischfliegentinktur.**

E Cantharidibus grosso modo pulveratis uti Tinctura Aconiti paranda.

Sit coloris fusciscentis.

**\* Tinctura Castorei Canadensis.****Canadensisch Biebergeil-Tinktur.**

Paretur eadem ratione ut Tinctura Aconiti e Castoreo Canadensi inciso.

Sit coloris obscuro-rubro-fusci, pellucida; odoris proprii, sed non tam gravis ac insignis, quam Tincturae Castorei Moscovitici; Aquae destillatae instillata, illam e fusciscente albidam et valde lactescentem reddit, quae, copia Liquoris Ammoniaci caustici affusa, fere perspicua fiat, et colore fusco tingatur.

**Tinctura Castorei Canadensis aetherea.****Aetherische Canadensisch Biebergeil-Tinktur.**

*Rp.* Castorei Canadensis, minutim concisi, Drachmam unam,

Spiritus aetherei Drachmas decem.

Ceterum paretur uti Tinctura Aconiti aetherea.

Sit coloris fusci.

**Tinctura Castorei Moscovitici.****Russisch Biebergeil-Tinktur.**

Paretur eadem ratione uti Tinctura Aconiti e Castoreo Moscovitico minutim inciso.



Sit coloris obscuro-ignei seu fulvi, clara, perspicua; odoris proprii, gravissimi, insignis; Aquae destillatae instillata, illam flavescentem ac subturbidam (opalescentem) reddit, quae copia Liquoris Ammoniaci caustici affusa, clarior fiat et colore luteo, vix interdum rubello, tincta appareat.

## **Tinctura Castorei Moscovitici.**

**Aetherische Russisch Biebergel-Tinktur.**

Paratur uti Tinctura Castorei Canadensis aetherea e Castoreo Moscovitico.

Sit coloris subfusci.

## **\* Tinctura Catechu.**

**Katechutinktur.**

Paretur eadem ratione ut Tinctura Aconiti e Catechu contrito.

Sit coloris obscure fusci.

## **\* Tinctura Chinae composita.**

**Zusammengesetzte Chinatinktur. Whytt's stärkendes Elixir.**

*Elixir roborans Whyttii. Tinctura composita Whyttii.*

*Rp.* Corticis Chinae fusci Uncias tres,  
Radicis Gentianae,  
Flavedinis Corticum Aurantium, singulorum  
Unciam unam.

Concisis ac contusis affunde:

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias sedecim,

Aquae Cinnamomi Uncias octo.

Digere per sex dies in balneo aquae vel arenae,  
exprime et filtra.

Serva in vitris clausis.

Sit rubro-fusca, clara, cum Aqua potius opalescens, quam lactescens; saporis amari.

\* **Tinctura Chinae simplex.****Einfache Chinatinktur.***Tinctura Chinae.*

Paratur eodem modo uti Tinctura Absinthii e Cortice Chinae fusco contuso.

Sit coloris e rubro fusci.

**Tinctura Chinoidei.****Chinoidintinktur.**

*Rp.* Chinoidei Drachmam unam,  
Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam.

Solve.

Paratur ex tempore.

Sit coloris rubro-fusci.

\* **Tinctura Cinnamomi.****Gemeine Zimmtinktur. Cassienzimmtinktur.**

*Tinctura Cassiae cinnamomeae. Tinctura Cinnamomi Sinensis seu Indici.*

Paratur eodem modo uti Tinctura Absinthii e Cortice Cassiae cinnamomeae contuso.

Sit coloris e fusco rubri.

**Tinctura Cinnamomi Ceylanici.****Zeylanzimmtinktur.***Tinctura Cinnamomi acuti.*

Eadem ratione paratur uti Tinctura Absinthii e Cortice Cinnamomi Ceylanici contuso.

Sit coloris e fusco-rubri.



**Tinctura Colchici.****Herbstzeitlosetinktur.**

E Seminibus Colchici probe contusis uti Tinctura Aconiti paranda.

Sit coloris snbfusci.

**Tinctura Colocynthis.****Coloquintentinktur.**

*Rp.* Colocynthis a seminibus liberatae et minutim concisae Drachmas sex,

Seminis Anisi stellati contusi Drachmam unam,

Spiritus Vini rectificati Uncias decem.

Digere lege artis per hebdomadem, exprime et filtra.

Sit coloris e subfusco flavi.

**\* Tinctura Corticum Aurantium.****Pomeranzenschalentinktur.**

Uti Tintura Absinthii e Flavedine Corticum Aurantium contusa vel concisa paranda.

Sit coloris subfusci.

**Tinctura Croci.****Safrantinktur.**

E Croco inciso uti Tinctura Aconiti paranda.

Sit coloris saturate aurantiaci.

**\* Tinctura Digitalis purpureae.****Roth Fingerhutkraut-Tinktur.**

Paratur ex Herba Digitalis purpureae minutim incisa uti Tinctura Aconiti.

Sit coloris viridis paullum fuscii.

## Tinctura Digitalis purpureae aetherea.

**Aetherische Roth Fingerhutkraut-Tinktur.**

Uti Tinctura Aconiti aetherea ex Herba Digitalis  
purpureae minutim incisa paranda.

Sit coloris e fusco viridis.

## Tinctura Euphorbii.

**Euphorbiuntinktur.**

*Rp.* Euphorbii pulverati Unciam unam,  
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Digere per septimanam et filtra.

Serva caute.

Sit coloris e flavo fusci.

## \* Tinctura Ferri acetici aetherea.

**Aetherische essigsäure Eisentinktur. Klaproth's  
Eisentinktur.**

*Tinctura Martis Klaprothii.*

*Rp.* Limaturae Ferri puri, quantum libet.

Immitte in cucurbitam satis amplam, et caloris  
lenioris ope solve in:

Acidi hydrochlorati puri quantitate sufficiente.

Solutione peracta sensim, assidue agitando, instilla

Acidum nitricum purum, dum caloris auxilio non  
amplius effervescendo prodeat gas nitrosum, et  
Ferrum solutum perfecte oxydatum sit.

Dein solutionem dilue majore copia Aquae destil-  
latae, filtra et adde inter agitationem:

Liquoris Ammoniaci caustici tantum, ut Ammoni-  
acum praevaleat.

Praecipitatum, Aqua destillata probe elotum, in



lintheum collectum leniter preme, tum lintheum cum praecipitato charta bibula involvatur, pressio autem repetatur, quamdiu charta inde humescat.

Massam paululum humidamingere in cucurbitam et affunde, vas interdum agitando:

Aceti concentrati tepidi tam diu, donec quantulacunque Ferri oxydati portiuncula non soluta remaneat, tum per lintheum densioris texturae cola et residere fac liquorem.

Hujus Liquoris Ferri acetici oxydati quiete depurati et coloris badii saturati Partibus novem adde:

Aetheris acetici Partem unam,

Spiritus Vini rectificatissimi Partes duas.

Serva in vitro, obturaculo vitreo clauso, et in loco frigido contra lucem munito.

Sit limpida, coloris fuscii saturati, et ponderis specifici 1,065 usque ad 1,070 = 11° Ar. Bk. Aq. grav.

A Cupro libera reperiatur.

### \* Tinctura Ferri chlorati.

**Salzsaure Eisentinktur. Eisensalmiak-tinktur.**

*Tinctura Martis aperitiva. Tinctura Ferri muriatici.*

*Rp.* Ferri sesquichlorati,

Ammonii chlorati depurati, singulorum Drachmam unam.

Solve in:

Aquae destillatae Drachma una, et adde:

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias quatuor.

Diligenter misce, calore haud adhibito digere per aliquot dies et filtra.

Sit limpida, coloris aurei et a Cupro libera

\* **Tinctura Ferri pomata.****Eisentinktur mit Aepfelsaft.***Tinctura Martis pomata. Tinctura Malatis Ferri.*

*Rp.* Extracti Ferri pomati Unciam unam,  
 Aquae Cinnamomi spirituosae Uncias sex.  
 Solve et filtra.  
 Sit coloris e fusco nigri.

**Tinctura Gentianae.****Enziantinktur.**

Paratur eodem modo uti Tinctura Absinthii e Ra-  
 dice Gentianae contusa.  
 Sit coloris e flavo fusci.

**Tinctura Guajaci ammoniacata.****Ammoniakhaltige Guajaetinktur.***Tinctura Guajaci volatilis. Tinctura Guajaci ammoniata.*

*Rp.* Resinae Guajaci tritae Unciam unam,  
 Liquoris Ammoniaci caustici Uncias duas,  
 Spiritus Vini rectificatissimi Uncias quatuor.  
 Maceratione frigida in vitro obturato, per dies octo  
 continuata, saepius movendo, extrahatur tinctura, quae  
 filtretur.  
 Serva in loco frigido et in vitro, obturaculo vitreo munito.  
 Sit coloris fusci.

**Tinctura gingivalis balsamica.****Balsamische Zahnfleisch-tinktur.**

*Rp.* Myrrhae,  
 Catechu, singulorum Unciam unam.  
 Pulveratis ac mixtis instilla:



Balsami Peruviani nigri Drachmas duas,  
adde:

Spiritus Vini rectificati,  
„ Cochleariae, singulorum Uncias tres.  
Digere per septimanam et filtra.  
Sit coloris e fusco rubri.

### **Tinctura Hellebori nigri.**

**Schwarzniesswurzeltinktur.**

*Tinctura Melanpodii.*

E Radice Hellebori nigri contusa uti Tinctura  
Aconiti paranda.

Sit coloris fusci.

### \* **Tinctura Jodi.**

**Jodtinktur.**

*Rp.* Jodi Scrupulos duos,  
Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam.  
Solve, residere fac et decanta.

Serva in vitro epistomio vitreo clauso caute.

Sit coloris e rubro fusci saturati.

### \* **Tinctura Kino.**

**Kinotinktur.**

Paretur eadem ratione ut Tinctura Aconiti e Kino  
trito.

Sit coloris saturati fusco-rubri.

### **Tinctura Lobeliae.**

**Lobelientinktur.**

Ex Herba Lobeliae inflatae incisa uti Tinctura  
Aconiti paranda.

Sit coloris e fusco viridis.

**Tinctura Macidis.****Muskatblüthentinktur.**

Paratur eodem modo uti Tinctura Absinthii e Macide concisa.

Sit coloris flavi.

**Tinctura Menthae piperitae.****Pfeffermünztinktur.**

Eodem modo paranda ut Tinctura Absinthii ex Herba Menthae piperitae incisa.

Sit coloris e viride fusc.

**\* Tinctura Moschi.****Moschustinktur. Bisantinktur.**

*Rp.* Moschi Scrupulum unum,  
Spiritus Vini rectificati,  
Aquae destillatae, singulorum Unciam unam.  
Macerata per octo dies in vase clauso, saepe agitanda,  
tum filtra.

Sit coloris e subrufo fuscioris.

**\* Tinctura Myrrhae.****Myrrhentinktur.**

Paratur eadem ratione ut Tinctura Aconiti e Myrrha pulverata.

Sit coloris e subflavo rufi.

**\* Tinctura Nucis vomicae.****Brechnusstinktur.**

E Nucibus Vomica grossa modo pulveratis eadem ratione paratur uti Tinctura Aconiti.

Serva caute.

Sit coloris subflavi.



**Tinctura Opii benzoica.****Benzoësäurehaltige Opiumtinktur.***Elixir paregoricum.*

*Rp.* Opii pulverati Scrupulum unum,  
 Acidi benzoici Scrupulos quatuor,  
 Camphorae,  
 Olei Anisi, singulorum Scrupulos duos,  
 Spiritus Vini rectificati Uncias octo.

Macera per hebdomadem saepius conquassando in vase clauso, tum filtra.

Serva caute.

Sit coloris flavi, paullum fuscii.

Uncia una continet partes solubiles e Granis circiter duobus cum dimidio Opii.

**\* Tinctura Opii crocata.****Safranhaltige Opiumtinktur.**

*Laudanum liquidum Sydenhami. Vinum Opii aromaticum.*

*Rp.* Opii pulverati Uncias quatuor,  
 Croci Unciam unam et dimidiam,  
 Caryophyllorum,  
 Corticis Cassiae cinnamomeae, singulorum, grosso modo pulveratorum, Drachmas duas.

Infunde:

Vini Madeirensis Uncias triginta octo.

Ceterum paretur uti Tinctura Absinthii.

Serva caute.

Sit coloris e croceo obscure fuscii et ponderis specifici 1,017 ad 1,020 = 3° ad 3½° Ar. Bk. Ag. grav.

Drachma continet partes solubiles e Granis sex Opii.

\* **Tinctura Opii simplex.****Opiuntinktur.**

*Tinctura Opii. Tinctura thebaica. Tinctura Meconii.*

*Rp.* Opii pulverati Uncias quatuor,  
Spiritus Vini rectificati,  
Aquae destillatae, singulorum Uncias novemdecim.  
Ceterum paratur uti Tinctura Absinthii.

Serva caute.

Sit coloris e rubro fusci obscurioris, et ponderis specifici 0,977  
ad 0,980 = 4° ad 3½° Ar. Bk. Aq. lev.

Drachma continet partes solubiles e Granis sex Opii.

\* **Tinctura Pimpinellae.****Pimpinelltinktur.**

Paratur eodem modo uti Tinctura Absinthii e Ra-  
dice Pimpinellae incisa.

Sit coloris e flavo fuscescentis.

\* **Tinctura Ratanhiae.****Ratanhiatinktur.**

Paratur eodem modo uti Tinctura Absinthii e  
Radice Ratanhiae contusa.

Sit coloris saturati fusco-rubri.

\* **Tinctura Rhei aquosa.****Wässrige Rhabarbertinktur.**

*Tinctura Rhabarbari aquosa. Anima Rhei.*

*Rp.* Radicis Rhei, in taleolas tenuissimas scissae,  
Unciam unam et dimidiam,  
Kali carbonici puri Drachmas tres.

Affunde:

Aquae destillatae frigidae Uncias quatuordecim.



Macera per nycthemerum, tum post expressionem lenem infusum ad ebullitionem calefac et adhuc calentem filtra.

Liquori Unciarum tredecim

adde post refrigerationem:

Aquae Cinnamomi spirituosae Uncias duas.

Serva in vitris parvis et obturatis, in loco frigido.

Sit coloris e rubro fuscis obscurioris.

### \* Tinctura Rhei spirituosa.

*Geistige Rhabarbertinktur.*

*Tinctura Rhei dulcis.*

*Rp.* Radicis Rhei concisae Uncias duas,  
Cardamomi minoris contusi Unciam dimidiam,  
Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Digere per septimanam; tincturae deinde expressae adde:

Sacchari albi contusi Uncias quatuor.

Iterum digere donec Saccharum solutum sit. Tincturam quiete defaecatam dein filtratam, pondus Librarum duarum habentem, serva in vitro obturato.

Sit coloris e rubro-fuscis.

### \* Tinctura Rhei vinosa.

*Weinige Rhabarbertinktur.*

*Tinctura Rhei vinosa Darelü.*

*Rp.* Radicis Rhei minutim concisae Uncias duas,  
Flavedinis Corticis Aurantium contusae Unciam  
dimidiam,  
Cardamomi minoris grosso modo pulverati Drachmas duas,  
Vini Madeirensis Libras duas.

Digere per hebdomadem in vitro clauso, saepius  
agitando, tunc exprime et admisce:

Extracti Helenii Unciam dimidiam,

Sacchari albi contusi Uncias tres.

Tincturam residendo defaecatam, colatam, quoad  
pondus Libras duas aequantem, serva in loco frigido.

Sit turbida, coloris e flavo fuscii.

### **Tinctura Scillae.**

*Meerzwiebeltinktur.*

E Radice Scillae incisa uti Tinctura Aconiti paranda.

Sit coloris flavi.

### **Tinctura Stramonii.**

*Stechapfeltinktur.*

*Tinctura Daturae.*

Paratur e Seminibus Stramonii contusis uti Tinctura  
Aconiti.

Sit coloris e subfusco flavi.

### **Tinctura Stramonii aetherea.**

*Aetherische Stechapfeltinktur.*

*Tinctura Daturae aetherea.*

Eadem ratione paranda uti Tinctura Aconiti aetherea  
e Seminibus Stramonii contusis.

Sit coloris e subfusco flavi.

### **\* Tinctura Valerianae.**

*Baldriantinktur.*

Eodem modo paratur e Radice Valerianae incisa  
uti Tinctura Absinthii.

Sit coloris fuscii.



\* **Tinctura Valerianae aetherea.****Aetherische Baldriantinktur.**

Uti Tinctura Aconiti aetherea e Radice Valerianae minutim contusa paranda.

Sit coloris e flavo fusci.

**Tinctura Vanillae.****Vanilletinktur.**

E Vanilla minutim incisa uti Tinctura Aconiti paranda.

Sit coloris e flavo fusci.

\* **Tragacantha.****Traganth.***Gummi Tragacanthae.*

Astragalus verus Olivier., frutex Asiae minoris et Persiae borealis; Astragalus Creticus Lamark., frutex insulae Cretae et Peloponnesi. Cl. XVII. Ord. IV. syst. Linn. — Fam. Leguminosae (Papilionaceae) syst. natur.

Est succus e ramis exsudans et in aëre induratus horum fruticum. Frustula sunt variae magnitudinis et formae, interdum multifarie contorta, albida vel subflavescentia, subdiaphana, dura, tenacia, aegre pulverisanda, odoris nullius, saporis fatui.

Quo albidior, eo melior est, rufam, fuscam ochroleucam et sordide ochroleuca rejice. In Aqua ita intumescat, ut Pars una cum quinquaginta Partibus Aquae mucilaginem spissam exhibeat.

**Trochisci Santonini.****Santoninzeltchen. Wurmkuichen.***Pastilli Santonini.*

*Rp.* Santonini Grana duodecim,

Tragacanthae Grana sex,  
 Sacchari albissimi Unciam unam,  
 Aquae destillatae quantitatem sufficientem, ut fiant  
 lege artis trochisci tabuliformes numero viginti quatuor  
 exsiccandi.

Sint magnitudinis ponderisque aequales, albissimi.  
 Trochiscos Santonini mercatura venales dispensare non licet.

### \* Unguentum basilicum.

**Königssalbe.**

*Unguentum Terebinthinae resinosum.*

*Rp.* Cerae citrinae,  
 Colophonii,  
 Sebi ovilli, singulorum Libram unam,  
 Terebinthinae communis Libram dimidiam,  
 Olei Olivarum communis Libras tres.

E leni igne liquatis et per stupam colatis fiat lege  
 artis unguentum.

Sit coloris e flavo fusc.

### \* Unguentum Cantharidum.

**Spanisch-Fliegensalbe. Reizende Salbe.**

*Unguentum irritans.*

*Rp.* Cantharidum contusarum Uncias duas,  
 Olei Olivarum Provincialis Uncias octo.

Digerantur in olla (vel vitro) vesica tecta, balneo  
 aquae ingesta, per biduum, interdum conquassata; dein  
 cola per linteum et residuum exprime.

Olei colati Librae dimidiae adde:

Cerae albae Uncias quatuor.

Liquando super igne lenissimo vel in balneo aquae  
 et agitando donec fere refrixerint, fiat unguentum.

Sit coloris subviridis.



**Unguentum cereum.****Wachssalbe. Cerat.***Ceratum simplex. Unguentum simplex.*

*Rp.* Olei Olivarum Provincialis Partes quinque,  
Cerae albae Partes duas.

Liquata ab igne remota agitentur, donec refrixerint.

Ex tempore parandum.

Sit coloris albi, consistentiae aequalis, non rancidum.

**Unguentum Cerussae.****Bleiweissalbe. Einfache weisse Salbe.**

*Unguentum album simplex. Unguentum subcarbonatis Plumbi.*

*Rp.* Cerussae subtilissime laevigatae Uncias tres,  
Axungiae Porci Uncias sex.

Misce exactissime.

Sit coloris albissimi.

Nunquam magna copia simul paranda.

**\* Unguentum digestivum.****Digestivsalbe.***Unguentum Terebinthinae.*

*Rp.* Sebi ovilli Uncias tres,  
Terebinthinae Laricis,  
Olei Olivarum Provincialis, singulorum Uncias  
duas.

Leni calore liquatis et semirefrigeratis immisce:

Vitellum Ovi,

Olibani pulverati Drachmas duas,

Croci pulverati Scrupulum dimidium.

Serva.

**\* Unguentum Digitalis purpureae.**

**Roth - Fingerhutkraut - Salbe.**

*Rp.* Herbae Digitalis purpureae incisae (siccatae),  
Spiritus Vini rectificatissimi, singulorum Uncias duas.  
Macera in vase clauso per nycthemerum et adde:  
Axungiae Porci Libram unam.

Coque leni calore, donec humidum spirituosum consumptum sit. Cola cum expressione et serva unguentum refrigeratum et leviter agitatum.

Sit coloris viridis; odoris proprii, non rancidi.

**\* Unguentum Elemi.**

**Elemisalbe.**

*Balsamum Arcaei.*

*Rp.* Elemi,  
Terebinthinae Laricis,  
Sebi ovilli,  
Axungiae Porci, singulorum par pondus.

Leni igne liquefacta colentur per linteum.

Serva in vase fictili-siliceo vel porcellaneo, charta cerata bene clauso.

Sit albo-flavens; odoris genuini, balsamici; consistentiae axungiae, tenax.

**\* Unguentum flavum.**

**Gelbe Salbe. Eibischsalbe.**

*Unguentum Althaeae. Unguentum de Terebinthina et Cera. Unguentum cereum Curcumae.*

*Rp.* Seminis Foeni Graeci contusi Uncias duas,  
Radici Curcumae pulveratae Unciam unam,  
Aquaе fontanae Uncias tres,  
Axungiae Porci Libras quatuor.



Coque in lebetē cupreo leni igne donec omnes partes  
aquosae consumtae sint. Tunc adde:

Cerae citrinae Libram unam,  
Resinae Pini Libram dimidiam,  
Terebinthinae Laricis Uncias duas.

Leni calore liquata per stupam colentur.  
Sit coloris flavi, odoris proprii.

### \* Unguentum Hydrargyri album.

**Weisse Quecksilbersalbe. Zeller's reinigende Salbe.**  
*Unguentum mundificans Zelleri. Unguentum mercuriale album. Unguentum ad Scabiem Werlhofii.*

*Rp.* Hydrargyri praecipitati albi, subtilissime pulverati, Drachmam unam,

Unguenti rosati Unciam unam.

Misce exactissime in mortario lapideo.

Sit coloris albissimi.

Non nisi ad dispensationem aut saepius recens paretur.

### \* Unguentum Hydrargyri cinereum.

**Graue Quecksilbersalbe.**

*Unguentum mercuriale. Unguentum Neapolitanum.*

*Rp.* Hydrargyri depurati Uncias sex,  
Sebi ovilli Uncias quatuor.

Tere in mortario tepido lapideo, vel e ferro fuso confecto, ad perfectam Hydrargyri abolitionem, tunc admisce:

Axungiae Porci Uncias octo.

Ut Hydrargyrum citius aboleatur, id una cum parte sebi et portiuncula ejusdem unguenti, prius praeparati et nondum corrupti, terere licet.

Sit coloris e subcoeruleo cinerei, Hydrargyri globulis non distinguendis.

**Unguentum Hydrargyri citrinum.****Gelbe Quecksilbersalbe.***Unguentum mercuriale citrinum.*

*Rp.* Hydrargyri depurati Unciam unam,  
Acidi nitrici puri Uncias duas.

Solve in cucurbita vitrea auxilio caloris tepidi et, solutione peracta, ebulliat liquor per duodecimam partem horae. Liquorem adhuc calidum sensim misce cum:

Axungiae Porci liquefactae et semirefrigeratae  
Libra una.

Tunc effunde in capsulas chartaceas.

Serva in vasis porcellaneis vel murrhinis probe tectis.  
Sit coloris e griseo citrini. Saepius recens parandum.

**Unguentum Hydrargyri rubrum.****Rothe Quecksilbersalbe.***Unguentum mercuriale rubrum.*

*Rp.* Hydrargyri oxydati rubri Drachmam unam,  
Axungiae Porci Drachmas decem.

Exactissime misceantur in mortario lapideo.

Sit coloris rubri.

Non ultra mensem prostet.

**Unguentum Kalii jodati.****Jodkaliumsälbe.***Unguentum Kali hydrojodini.*

*Rp.* Kalii jodati Drachmam unam.

Solve terendo additis aliquot guttis Aquae destillatae, et misce cum:

Axungiae Porci Uncia una

ut fiat unguentum albissimum.

Non nisi ad dispensationem paretur.



**Unguentum Majoranae.****Majoransalbe. Majoranbutter.***Butyrum Majoranae.*

Paratur eadem ratione uti Unguentum Digitalis purpureae ex Herba Majoranae.

Sit herbaceo-viride; consistentiae axungiae; odoris Majoranae tenuioris.

**\* Unguentum nervinum.****Nervensalbe.**

*Unguentum laurino-camphoratum. Unguentum Rorismarini compositum. Unguentum aromaticum. Unguentum laurinum.*

*Rp.* Sebi ovilli Uncias novem.

Liquatis et semirefrigeratis admisce:

Olei Lauri Uncias decem,

tandemingere:

Camphorae Unciam unam,

solutam in:

Olei Juniperi venalis,

„ Lavendulae, singulorum Uncia dimidia.

Serva in vase rite clauso.

Sit coloris viridis.

**Unguentum nitricum.****Salpetersaure Salbe. Oxygenirte Salbe.***Unguentum oxygenatum. Axungia oxygenata.**Unguentum oxynomenon.*

*Rp.* Axungiae Porci Uncias octo.

Supra lenem ignem in patina porcellanea liquatae, bacillo vitreo agitando, admisce sensim:

Acidi nitrici puri Unciam unam.

Miscelam calefac igne celeriter aucto, donec vapores rubros exhalaverit. Tunc depone patinam et sepone ad desinentem commotionem miscelae, quam semirefrigeratam in capsulas chartaceas effundas, ac refrigeratam in olla porcellanea vel murrhina serves.

Sit coloris e citrino albi.

Saepius recens parandum.

### \* Unguentum ophthalmicum St. Yves.

*St. Yves Augensalbe.*

*Balsamum ophthalmicum St. Yves. Unguentum Hydrargyri rubrum compositum.*

*Rp.* Butyri recentis loti Unciam unam,

Cerae albae Scrupulos quatuor.

Liquefactis et parum refrigeratis admisce:

Hydrargyri oxydati rubri laevigati Scrupulos duos  
cum dimidio,

Zinci oxydati Scrupulum unum,

Camphorae Grana quindecim, antea cum:

Olei Olivarum Provincialis Drachma dimidia tritae.

Misceantur exactissime in mortario lapideo.

Ne nimis diu servetur in olla porcellanea obturata ac charta cerata obducta.

Sit coloris e flavo rubri, nec striis griseis intermixtum, nec odoris rancidi.

### \* Unguentum Plumbi.

*Bleisalbe. Bleicerat.*

*Ceratum Saturni Goulardi. Unguentum saturninum.*

*Unguentum plumbicum.*

*Rp.* Cerae albae Uncias duas,

Axungiae Porci Libram unam cum dimidia.



Liquata ab igne remove, et simulac lentescere incipiant, semsim sub perpetua agitatione cum agitaculo ligneo illis adde:

Aceti Lithargyri Uncias duas dilutas in:

Aquae Rosarum Unciis quatuor.

Consumta omni humiditate unguentum immitte in vas figulinum vitreatum vel murrhinum, charta cerata obductum.

Serva in vasis dictis.

Sit album; consistentiae unguenti; odoris aciduli, non rancidi.

### Unguentum Populi.

**Pappelsalbe.**

*Unguentum populeum.*

Paretur uti Unguentum Digitalis purpureae nisi quod sumatur:

Herbae Hyoscyami incisae (siccatae),

Spiritus Vini rectificatissimi, singulorum Uncia dimidia,

et addendo:

Axungiae Porci Libram unam,

Gemmarum Populi recentium Uncias sex.

Sit coloris e fusco viridis, odoris subaromatici.

### \* Unguentum psoricum Anglicum.

**Englische Krätzsalbe.**

*Unguentum sulphuratum compositum.*

*Rp.* Sulphuris sublimati Libram dimidiam,

Radici Hellebori albi, subtilissime pulverati,  
Uncias duas,

Kali nitrici depurati pulverati Drachmam unam,

Saponis nigri Libram dimidiam,

Axungiae Porci Libram unam cum dimidia.

Misceantur lege artis exactissime.

Sit griseum, mucedine liberum.

\* **Unguentum rosatum.****Rosensalbe. Pomade.***Unguentum pomadinum.*

*Rp.* Axungiae Porci Libram unam,  
Cerae albae Uncias tres.

Leni igne liquatis et refrigeratis agitando sensim admisce:

Aquae Florum Aurantii,  
„ Rosarum, singulorum Uncias duas,  
Olei Citri Guttas viginti quatuor,  
„ Bergamottae,  
„ Lavendulae, singulorum Guttas duodecim.

Misce.

Serva in vase probe clauso.  
Sit albissimum.

**Unguentum Tartari stibiati.****Brechweinsteinsalbe.**

*Unguentum Tartari emetici. Unguentum Stibio-Kali tartarici.*

*Rp.* Tartari stibiati, subtilissime triti, Drachmam unam,  
Axungiae Porci Drachmas quatuor.

Misce exactissime.

Sit unguentum albissimum.  
Paretur ex tempore.

\* **Unguentum Zinci.****Zinksalbe.***Unguentum de Nihilo.*

*Rp.* Cerae albae Unciam unam cum dimidia,  
Axungiae Porci Uncias sex cum dimidia.



Liquatis et semirefrigeratis immisce:

Zinci oxydati Unciam unam, in sufficiente quantitate Olei Olivarum Provincialis triti.

Exactissime misceantur.

Sit unguentum albissimum.

Non ultra mensem prostet.

## Vanilla.

### Vanille.

Vanilla aromatica Swartz. et Vanilla planifolia Aiton., planta parasitica Mexicana, Cl. XX. Ord. I. syst. Linn. — Fam. Orchideae syst. natur.

Capsulae sunt immaturae, cylindricae, compressae, 5 ad 10 pollices longae, 3 ad 4 lineas latae, utrinque attenuatae, striatae, obscure fuscae, tactu pingues, nitentes, crystallis albidis Acidi cinnamylici inspersae; seminibus pulpam pinguem subrufam referentibus farctae; odoris et saporis suavissimi, Balsamo Peruviano subsimilis.

Serva bene.

Capsulas vetustas, pallidas, siccas, rugosas, emarcidas, tenues, mucidas, sicuti capsulas, quae sub nomine La Guayra et Pompona venales occurrunt, nec non nigras, latiores, crassiores, majores, saporis et odoris valde debilioris, rejice.

## \* Veratrinum.

### Veratrin.

Praeparatum officinarum chemicarum, e semine Sabadillae obtentum.

Minime cum Sabadillino, alcaloide ab eo diverso, confundendum est.

Sit pulvis albidus, non nimis ponderosus, amorphus, odoris nullius, saporis valde acris, urentis; sternutationem vehementissimam, interdum periculosam, excitans. In Aqua est vix, in Aethere difficile solubilis. Exaestuatus primum fluat massae flavescens, resinosae instar, tum carbonem edat, qui ustione partes fixas non relinquat.

Sit in Spiritu Vini rectificatissimo et in Acidis perfecte solubilis.

\* **Vinum.****Wein.**

*Vitis vinifera* Linn., planta indigena Asiae minoris, nunc culta; Cl. V. Ord. I. syst. Linn. — Fam. *Ampelideae* syst. natur.

Usui medicinali inserviunt:

Vinum album, Vinum rubrum, Vinum Hispanicum (Madeirense). Fermentatione vinosa e succo baccarum obtinetur.

Liquida, quorum qualitates cognitissimae sunt, animum exhilarantia.

Sint generosa, genuina, metallis obnoxiiis minime inquinata.

\* **Vinum Colchici.****Zeitlosen-Wein,***Vinum Seminis Colchici.*

*Rp.* Seminis Colchici, rite contusi, Uncias duas,

Vini Madeirensis Uncias viginti.

Digere calore 24<sup>o</sup> usque 30<sup>o</sup> R. in vase vitreo, quod vesica madefacta et acu perforata clausuris, saepius conquassando, per dies octo. Vinum refrigeratum cola ac per chartam bibulam filtra.

Sit limpidum, coloris e flavo fusci; saporis Vini adhibiti, amari, nauseosi.

\* **Vinum stibiatum.****Spiessglanz-Wein. Brechwein.**

*Vinum Antimonii. Vinum emeticum. Loco: Vini Antimonii Huxhami et Aquae benedictae Rulandi.*

*Rp.* Tartari stibiati Grana duo.

Solve in:

Vini Madeirensis Uncia una.

Filtra.



Serva in vitro obturato.

Nunquam longius prostet.

Sit limpidum, sine sedimento; coloris vini adhibiti; saporis, praeter vinosum, submetallici, nauseosi; addita Aqua hydrothionica, Acido hydrochlorato acidula, praecipitatum aurantiaco-rubellum demittat.

## Zincum.

### Zink.

In officinis metallariis e Zinci mineris antea ignitis, addito pulvere Carbonum, destillatione per descensum plerumque obtinetur. Ex India orientali, Silesia et Hercynia praecipue advehitur.

Est metallum albido-subcoerulescens, nitidum, plerumque in quadratis effusum, structura foliacea, tenax, rigidum, pond. specif. circiter 6,8 ad 7,2; temperatura 80° ad 120° R. lamiabile, temperatura 164° R. vero contundendo in pulverem redigendum. Ante ignitionem liquefit, igne aucto cum flamma lucidissima flavente-viridi flagrat, ac in oxydum album partim avolans pervertitur. Igne ardente evaporatur.

Sit in Acidis penitus et facile solubile.

Fere semper Ferro, interdum Plumbo, Cadmio, Cupro et Carbone inquinatum est. Inquinatio nociva arsenicalis optime methodo Marshiana detegitur.

## Zincum aceticum.

### Essigsaures Zinkoxyd.

*Rp.* Zinci carbonici siccī (vide: Zincum chloratum)

Uncias duas.

Inmitte in cucurbitam vitream, et solve ope caloris in:

Aceti concentrati quantitate sufficiente.

Solutionem adhuc calidam filtra, evapora et sepone in loco frigido, ut crystalli exoriantur. Lixivium a crystallis decanta, iterum evapora, et hanc operationem

tam diu repete, donec crystalli largae ascendant. Crystallinos collectas sicca inter strata chartae bibulae albae, calore non adhibito, et serva siccitas in vitro bene clauso.

Format tabulas magnas, albas, oblique rhombicas, lamellares; sunt nitoris sericei; odoris debilis Acidi acetici; saporis salsi, nauseosi, austeri; in aëre subdefatiscens; in Aqua et in Spiritu Vini rectificatissimo solubiles. Exaestuatae primum fluunt, Aquam exhalantes, tum decomponuntur.

Reagentibus exploratae Zinci sulphurici puri instar se habeant.

### Zincum chloratum.

Chlorzink. Salzsaures Zinkoxyd.

*Zincum muriaticum.*

*Rp.* Acidi hydrochlorati puri Uncias quinque.

In cucurbita vitrea calefactis sensim sensimque admisce:

Zinci carbonici, praecipitatione Zinci sulphurici puri soluti, admixto Natro carbonico depurato soluto, parati Uncias duas aut quantum solvitur.

Solutionem refrigeratam filtra per vitrum, grosso modo pulverisatum, et evapora, igne non nimis aucto, super lucernam cum Spiritu Vini in patina porcellanea, bacillo vitreo agitans, usque ad siccum. Massa inter refrigerandum ope spatulae eximenda, in mortario calefacto celerrime contundenda, et statim in vitro optime claudendo caute servanda est.

Est massa griseo-albida, subpellucida, calore usque ad rubedinem aucto fusibilis, in aëre facillime deliquescens, etiam in Spiritu Vini rectificatissimo et Aethere facile solubilis, odoris nullius, saporis acris, salini, nauseosi, metallici. Solutiones sunt reactionis acidae.



Puritas chemica hujus praeparati, tantum pro usu externo servientis, quidem optanda, sed non necessaria est, et eodem modo, ut in Zinco sulphurico puro praescriptum est, explorari potest.

## Zincum cyanatum sine Ferro.

**Cyan-Zink ohne Eisen.**

*Rp.* Zinci acetici quantum vis.

Solve in:

Aquae destillatae quantitate sufficiente.

Solutioni filtratae admisce:

Acidi hydrocyanati tam diu,

quamdiu sedimentum oritur. Bene ablutum et inter temperaturam ordinariam siccatum tere in pulverem.

Serva in vitro clauso, nigro, et, ut venenum atrox, cautissime.

Sit pulvis albissimus, amorphus, levis, inodorus, insipidus, in Aqua et in Spiritu Vini rectificatissimo insolubilis.

Sit in Acido hydrochlorato, paulum diluto, Acidum hydrocyanatum emittens, perfecte solubile, et liquor reactiones salium Oxydi Zinci purorum praebet. Etiam a Liquore Kali caustici perfecte solvatur.

Medicus hoc praeparatum praescribens, nunquam obliviscatur, clausulam sine Ferro addere.

## Zincum ferro-cyanatum.

**Cyan-Zink-Eisen. Cyan-Zink mit Eisen.**

*Zincum cyanatum cum Ferro.*

*Rp.* Zinci sulphurici puri Unciam unam cum dimidia.

Solve in:

Aquae destillatae Unciis sex.

Solutioni filtratae adde:

Kalii ferro-cyanati flavi Unciam unam

antea in:

Aquae destillatae Libra una

solutam et post solutionem filtratam.

Praecipitatum hoc modo exortum edulcora optime et calore lenissimo exsicca.

Sit pulvis albidus, insipidus, inodorus, in Aqua non solubilis. Sit in Liquore Kali caustici perfecte et facile solubile.

Serva in vitro clauso.

Si medicus Zincum cyanatum, omissa clausula sine Ferro, postulaverit, semper Zincum ferro-cyanatum a pharmacopola dispensandum est.

### \* Zincum oxydatum.

Zinkoxyd. Zinkblumen.

*Flores Zinci.*

*Rp.* Natri carbonici depurati Libras duas et Uncias tres.

Solve in:

Aquae destillatae Libris viginti.

Solutionem filtratam ebullire fac in patina porcellanea et instilla, neque agitatione neque ebullitione cessante, solutionem filtratam e:

Zinci sulphurici puri Libris duabus

et:

Aquae destillatae Libris sex

paratam. Praecipitatione peracta, remove patinam ab igne et decanta fluidum clarum a sedimento. Sedimento tum admisce copiam sufficientem Aquae destillatae, et ebullire fac de novo. Postquam fluidum limpidum denuo a sedimento decantatum est, immitte sedimentum in manicam linteam Hippocratis vel in filtrum magnum planum, tege, postquam omne fluidum destillatum est, cum lamina rotunda, e charta bibula confecta, cujus margines in altum elevati sunt, et edulcora solenter Aqua destillata eo modo, ut Aqua, pro edulcoratione distincta, semper in laminam supra descriptam infundatur. Operatio haec finita erit, si Aqua edulcorationis, admixto Liquore Barytae nitricae, nullo modo



vel vix praecipitetur. Sedimentum, in loco tepido siccatum et contritum, immitte in crucibulum Hassiacum tectum et excandefac igne quidem fortiori, sed non nimis aucto tam diu, donec portiuncula exemta et refrigerata, Aqua destillata contrita, admixto Acido sulphurico non effervescat.

Zincum oxydatum est pulvis albidus, vix subflaves-cens, subtilissimus, inodorus, insipidus; in Spiritu Vini rectificatissimo et Aqua non solubilis. Aëri expositus, attrahit lente Acidum carbonicum. Excandefactus colo-rem citrinum, refrigeratione evanescentem, assumit, igne fortiore, usque ad rubedinem aucto, fusibilis et igne fortissimo, usque ad albedinem aucto, volatilis est.

Praeparatum dictum, Aqua destillata humefactum, admixtione Acidi sulphurici non effervescat, neque, Aqua destillata coctum, fluidum defiltratum solutione Barytae nitricae perturbetur, porro fluidum, in cochleari e Platina confecto evaporatum, residuum Acido sulphurico admixto effervescens non relinquat. Solutio nitrica acidulata Zinci oxydati, Aqua hydrosulphurata admixta nec colore brunneo-nigro, nec citrino imbuatur. Solutio praeparati in Acido hydrochlorato, admixta solutione Kalii-sulpho-cyanati, colore rubicundo non imbuatur.

Serva in vitris bene clausis.

### \* Zincum sulphuricum purum.

**Reines schwefelsaures Zinkoxyd. Weisser reiner Vitriol.**

*Vitriolum album purum.*

*Rp.* Zinci in frustulis Libram unam cum dimidia.

Infunde super:

Acidi sulphurici Anglici Libras duas,

in patinam porcellaneam immissas et antea cum:

Aquae communis Libris decem

lege artis dilutas. Stent in loco tepido, saepius agitata, donec reactio Acidi in metallum cessaverit. Solutio



filtrata stet per aliquot dies in lagena satis capaci, tum immitte torrentem gasis Chlorig. Simulac spatium vacuum in lagena gase Chlorig impletum est, conquassa lagenam, aperturam claudens, fortiter, et repete hanc operationem tam diu, quam diu fluidum, per viginti horas in loco frigido sepositum, adhuc validum odorem Chlorig spargat. Tum praecipita fluidum calefactum pauxillo solutionis Natri carbonici, cavens, ne haec solutio in excessu addatur, deinde ebullire fac in patina porcellanea, quo labore praecipitatio Oxydi Ferri perfecta perficitur, cujus rei certior es, si praecipitatum Oxydi Ferri, immixti Oxydi Zinci causa, colorem magis albidum assumit. Fluidum coctum, in quo Oxydum Ferri suspensum est, separa ope filtri, et admisce:

Acidi sulphurici diluti Uncias duas,  
ut lixivium limpídum, attactu aëris non turbidum exoritur, et evapora donec pellicula appareat. Crystallos exortas collige tam diu, quam diu ablutae adhuc purae a Chloreto Zinci appareant, quod reactione cognita explorandum est.

Tum immitte in infundibulum, ut lixivium, quantum fieri potest, defluat, sicca inter strata chartae bibulae albae, et serva caute in vasis bene clausis.

Format crystallisatione non interrupta prismata magna, diaphana; crystallisatione autem perturbata, acus tenues. Sunt decolores, in aëre vix subfatiscentes, odoris nullius, saporis acris, salsi, nauseosi, acerbis, et in Aqua valde solubiles. Solutio est reactionis subacidulae. Exaestuatae fluunt Aquam edentes, et calore magis aucto Acidum perfecte emittunt.

Praeparatum ne sit coloris rubicundi. Solutio Tinctura Gallarum admixta non nigrescat, et, aliquot guttis Acidi sulphurici acidulata, Aqua hydrosulphurata nullo colore imbuatur.



Solutio, liquore Natri acetici admixto et Aqua hydrosulphurata perfecte praecipitata, post defiltrationem Sulphureti Zinci liquore Natri phosphorici ammoniati nullum sedimentum album edat.

**\* Zincum sulphuricum venale.**


**Käufliches schwefelsaures Zinkoxyd. Käuflicher weisser Vitriol.**

*Vitriolum album venale.*

Raro nativum invenitur. E Zinco sulphurato nativo oxydatione aëre accedente paratur.

Zincum sulphuricum hoc modo ortum in Aqua solvitur et tum crystallisatur. Crystalli inde ortae etiam liquari solent, quo fit, ut sal dictum interdum in crystallis prismaticis et formis inde derivandis, interdum tanquam massa amorpha, granulosa venale occurrit. Facile in Aqua solubile et saporis styptici, metallici est.

Eligatur albissimum, flavidum rejiciatur. Semper Ferro, saepe Cupro et aliis metallis inquinatum est.



## Tabula A.

## REAGENTIA.

**Acidum aceticum.**

**Acidum hydrochloratum.**

**Acidum nitricum.**

**Acidum sulphuricum.**

**Acidum sulphuricum dilutum.**

**Aether.**

**Ammoniacum carbonicum.**

Solutio e parte una salis in partibus sex Aquae destillatae.

**Ammoniacum oxalicum.**

Solutio e parte una salis in partibus viginti quatuor Aquae destillatae.

**Ammonium chloratum.**

Ammonium chloratum in sex partibus Aquae destillatae solutum.

**Ammonium sulphuratum.**

Conduc gas hydrosulphuratum, Aqua lotum, in Liquorem Ammoniaci causticum, donec solutio Magnesia sulphuricae non amplius praecipitetur.

Sit liquor limpidus, recens paratus coloris fere expers, tactu temporis flavescens.

**Aqua Calcariae.**



**Aqua hydrosulphurata.**

Conduc gas hydrosulphuratum, Aqua lotum, in  
Aquam destillatam, quam diu absorbetur.

Paratur ex tempore.

**Argentum nitricum.**

Solutio e parte una salis crystallisati in partibus  
sedecim Aquae destillatae.

**Baryta nitrica.**

Solutio e parte una salis in partibus sedecim  
Aquae destillatae.

**Borax.****Charta exploratoria coerulea.**

Coque Laccae musci Unciam unam in quantitate  
sufficiente Aquae destillatae, per quadrantem  
horae, in vase vitreo ad colaturam Unciarum  
sex. Filtra decoctum et tinge hoc liquore seg-  
menta chartae bibulae albissimae, collo non  
imbutae, ac sicca chartam exploratoriam in loco  
umbroso.

Serva in vitro bene obturato.

**Charta exploratoria lutea.**

Paratur eadem ratione uti Charta exploratoria  
coerulea cum tinctura, e Radicis Curcumae con-  
tusae parte una, Spiritus Vini rectificati partibus  
sex, parata.

**Cuprum.**

Lamina Cupri puri polita.

**Ferrum.**

Lamina Ferri puri mollioris polita.

**Ferrum sesquichloratum.**

Ferrum sesquichloratum crystallisatum in partibus  
octo Aquae destillatae solutum.

**Ferrum sulphuratum.**

Praeparatum officinarum chemicarum, coeruleo-nigrum vel metallice flavescens, crystallinum.

**Ferrum sulphuricum oxydulatum.****Hydrargyrum bichloratum.**

Solutio e parte una Hydrargyri bichlorati in partibus viginti Aquae destillatae.

**Kalium ferrid-cyanatum rubrum.**

Solutio e parte una praeparati dicti in partibus sex Aquae destillatae.

**Kalium ferro-cyanatum flavum.**

Solutio e parte una praeparati dicti in partibus duodecim Aquae destillatae.

**Kalium sulpho-cyanatum.****Liquor Ammoniaci causticus.****Magnium chloratum.**

Solve Magnii chlorati crystallisati partem unam in partibus quatuor Aquae destillatae.

**Natrum carbonicum.**

Natrum carbonicum crystallisatum purum.

**Natrum carbonicum solutum.**

Solutio salis crystallisati in quadruplo Aquae destillatae pondere.

**Natrum causticum.**

Solutio Natri caustici in pondere duplo Aquae destillatae.

**Natrum phosphoricum.**

Solutio e parte una salis in partibus sex Aquae destillatae.

**Plumbum aceticum.**

Solutio filtrata e parte una Plumbi acetici in partibus octo Aquae destillatae.



**Spiritus Vini rectificatissimus.****Tinctura Gallarum.**


Tinctura lege artis parata e parte una Gallarum contusarum, partibus tribus Aquae destillatae et partibus tribus Spiritus Vini rectificatissimi.

**Zincum.**

Zincum purissimum in bacillis crassitudine calami straminei.

Reagentia sint purissima; solutiones probe filtratae ac limpidae; acida ponderis specifici supra in Pharmacopoea expositi.

Serventur in vitris epistomio vitreo solliciter obturatis, et teneantur in scrinio separato clauso atque adversus lucis accessum munito.



Tabula **B.****UTENSILIA**

ad apparatusum reagentium pertinentia.

- Tubuli vitrei probatorii, aut pocula vitrea probatoria,  
plures, ad minimum duodecim.  
Lagenulae coquinariae duae ad tres.  
Infundibula vitrea parva, duo ad tria.  
Tubuli vitrei varie incurvandi.  
Bacilli vitrei.  
Crucibulum porcellaneum.  
Patinae porcellaneae variae magnitudinis.  
Cochlear minus e Platina factum ac, si esse potest,  
crucibulum ex Argento vel Platina confectum.  
Microscopium simplex.  
Lucerna Spiritu Vini repleta.  
Tubulus ferruminatorius.  
Charta bibula alba.  
Pondera normalia.  
Thermometrum Reaumurianum ita constructum, ut liquo-  
ribus immergi aptum sit.  
Araeometrum Beckii pro liquoribus Aqua levioribus et  
alterum pro liquoribus Aqua gravioribus.  
Cylindrus vitreus ad araeometra.  
Mortarium porcellaneum.



Tabula C.

exhibens medicamina efficacissima et corpora venenata in scrinio venenatio asservanda, et secundum §. 1 ad 5 edicti e Ministerio intimo, die 25. Octbr. 1823 promulgati, non nisi singulari venia data, venalia.

Auri pigmentum. Arsenicum sulphuratum flavum.  
 Arsenicum jodatum.  
 Arsenicum rubrum. Realgar. Risigallum.  
 Arsenicum album. Acidum arsenicosum.  
 Solutio arsenicalis Fowleri.  
 Acidum arsenicum.  
 Acidum borussicum seu hydrocyanatum.  
 Kali borussicum. Kalium cyanatum purum.  
 Cobaltum crystallisatum. Arsenicum regulinum seu metallicum.

**Tabula D.**

indicans medicamina efficacissima in scrinio separato clauso asservanda, et secundum §. 1 ad 5 edicti e Ministerio intimo, die 25. Octbr. 1823 promulgati, non nisi singulari venia data, venalia.

Atropinum.  
 Oleum Amygdalarum amararum destillatum.  
 Brucinum.  
 Chloroformylum.  
 Coniinum.  
 Oleum Crotonis.  
 Daturinum.  
 Digitalinum.  
 Emetinum.  
 Oleum Lauro-Cerasi destillatum.  
 (Opium apud mercatores quos Materialisten dicunt.)  
 Morphiū aceticum, muriaticum, purum et cetera.  
 Nicotinum.  
 Mercurius hydrojodinicus ruber. Hydrargyrum bijodatum rubrum.  
 Mercurius calcinatus ruber. Hydrargyrum oxydatum rubrum.  
 Hydrargyrum nitricum oxydatum et oxydulatum.  
 Liquor Mercurii nitrosi frigore paratus. Liquor Hydrargyri oxydulati nitrici.  
 Mercurius sublimatus corrosivus. Hydrargyrum bichloratum corrosivum.  
 Solaninum.  
 Strychninum.  
 Veratrium seu Veratrinum.  
 Zincum borussicum sine Ferro. Zincum cyanatum purum.  
 Praeterea omnia salia alcaloïdorum dictorum et aliorum efficacissimorum.



**Tabula E.**

indicans medicamina efficacia quae ad usum  
 technicum seu oeconomicum, cui rarius inserviunt, secun-  
 dum §. 1. et 6. edicti e Ministerio intimo, die 25. Octbr.  
 1823 promulgati, non sine peculiari permissu vendi debent  
 et a medicaminibus reliquis separanda sunt.

Aqua phagedaenica.

Belladonna. Herba, Radix et Extractum.

Hyoscyamus. Herba et Extractum.

Aqua Amygdalarum amararum concentrata.

Nux vomica. Extractum et Tinctura.

Tartarus emeticus seu stibiatus.

Radix Ipecacuanhae.

Colocynthides. Extractum panchymagogum Crollii seu  
 catholicum. Tinctura.

Aconitum. Herba, Extractum et Tincturae.

Euphorbium et Tinctura.

Digitalis purpurea. Herba, Extractum et Tinctura. Acetum.

Lactucarium.

Gratiola. Herba et Extractum.

Aurum muriaticum et Aurum muriaticum natronatum.

Aurum chloratum et Aurum natronato-chloratum.

Jalapa. Radix, Extractum et Tinctura.

Fabae St. Ignatii.

Cadmium sulphuricum.

Aqua Lauro-Cerasi.

Cocculi Indici.

Kreosotum.

- Pulsatilla nigricans. Herba et Extractum.  
 Lactuca virosa. Herba et Extractum.  
 Kermes minerale. Stibium sulphuratum rubeum.  
 Turpethum minerale. Hydrargyrum sulphuricum (oxy-  
 datum) praecipitatum.  
 Opium. Extractum et Tincturae. Laudanum liquidum  
 Sydenhami.  
 Secale cornutum. Extractum, Ergotinum.  
 Helleborus niger. Radix et Extractum.  
 Acidum oxalicum.  
 Grana Tiglii.  
 Mercurius solubilis Hahnemanni. Hydrargyrum oxydu-  
 latum nigrum.  
 Mercurius hydrojodinicus flavus. Hydrargyrum jodatum  
 flavum.  
 Aethiops mineralis. Hydrargyrum sulphuratum nigrum.  
 Mercurius praecipitatus albus. Hydrargyrum praecipi-  
 tatum album.  
 Mercurius aceticus oxydatus et oxydulatus. Hydrargy-  
 rum aceticum.  
 Mercurius dulcis. Calomel. Hydrargyrum chlora-  
 tum mite.  
 Semen Sabadillae.  
 Sabina. Herba, Extractum et Oleum.  
 Resina Scammonii.  
 Cicuta (Conium maculatum). Herba et Extractum.  
 Sulphur jodatum.  
 Baryta acetica et nitrica.  
 Baryta pura. Baryum oxydatum.  
 Baryum chloratum. Terra ponderosa salita.  
 Oleum Sinapeos destillatum.  
 Argentum chloratum, muriaticum.  
 Argentum aceticum, oxydatum et sulphuricum.



Cantharides et Tinctura.

Calx Antimonii sulphurata Hoffmanni. Calcaria stibiato-  
sulphurata Hoffmanni.

Hepar Antimonii.

Aethiops antimonialis. Stibium et Hydrargyrum sul-  
phurata.

Crocus metallorum.

Datura Stramonium. Herba, Extractum, Semen et  
Tincturae.

Rhus toxicodendron et radicans. Herba et Extractum.  
Extractum Nicotianae.

Flores Zinci. Zincum oxydatum.

Zincum valerianicum, ferro-cyanatum, aceticum et  
chloratum.

Huc pertinent quoque medicamina non citata e  
regno plantarum et metallica, simili modo efficacia,  
e. g. Ledum palustre, Antimonium diaphoreticum, Hy-  
drargyrum cyanatum, Elaterium, Herba et Tinctura  
Lobeliae, Semen, Vinum et Tinctura Colchici et caetera.

### Tabula F.

sistens medicamina efficacia et pigmenta, quae praeceptorum §. 6 edicti e Ministerio intimo, die 25. Octbr. 1823 promulgati, ratione habita, ad usum technicum et oeconomicum vendere licet, et a medicaminibus reliquis separanda sunt.

Aloë et Extractum.

Kali causticum. Lapis causticus.

Natrum causticum.

Kali ferreo-borussicum. Kalium ferro cyanatum flavum.

Kali ferreo-borussicum rubrum. Sal Gmelini. Kalium ferrid-cyanatum rubrum.

Acetum Lithargyri seu Saturni seu plumbicum.

Lithargyrum.

Cerussae variae species.

Saccharum Saturni. Plumbum aceticum.

Bromum.

Gummi Guttae.

Aerugo. Viride Aeris.

Lapis infernalis. Argentum nitricum fusum.

Jodina. Jodum.

Kali hydrojodinicum. Kalium jodatam.

Nuces vomicae.

Cuprum ammoniacale. Cuprum ammoniato-sulphuricum.

Semen Staphidis agrariae.

Magisterium Marcasitae seu Bismuthi. Bismuthum nitricum praecipitatum.

Minium.



Natrum hydrojodinicum. Natrium jodatum.  
 Radix Hellebori albi seu Veratri albi.  
 Phosphorus.  
 Electuarium phosphoratum.  
 Mercurius vivus. Hydrargyrum.  
 Acidum Salis seu hydrochloratum.  
 Kali muriaticum hyperoxygenatum. Kali chloricum.  
 Sal Acetosellae. Oxalium.  
 Aqua fortis. Acidum nitricum. Acidum nitri fumans.  
 Argentum nitricum crystallisatum.  
 Butyrum Antimonii. Liquor Stibii chlorati.  
 Sulphur auratum Antimonii. Stibium sulphuratum au-  
 rantiacum.  
 Vitriolum coeruleum. Cuprum sulphuricum.  
 Vitriolum album. Zincum sulphuricum.  
 Oleum Vitrioli. Acidum sulphuricum.  
 Cinnabaris. Hydrargyrum sulphuratum rubrum.  
 Stannum muriaticum. Stannum chloratum.

Praeterea omnia alia pigmenta metallica, Plumbum,  
 Chromium, Cuprum, Hydrargyrum, Zincum et Arsenicum  
 continentia, e. g. Viride montanum, Viride Scheelii,  
 Viride Bremense, Viride Brunswicense, Viride Schwein-  
 furtense, Coeruleum minerale, Citrinum Cassellanum,  
 Citrinum Neapolitanum, Citrinum Chromii, Album  
 Zinci et alia.

## Tabula G.

indicans doses medicamentorum maximas pro adulto, ultra quas medicus pro usu interno ne praescribat, nisi addito signo (!).

|                                                 |                             |
|-------------------------------------------------|-----------------------------|
| Acetum Digitalis . . . . .                      | Guttae triginta.            |
| Aqua Amygdalarum amararum concentrata . . . . . | Guttae quadraginta quinque. |
| Argentum nitricum . . . . .                     | Granum dimidium.            |
| Atropinum . . . . .                             | Grani pars quadragesima.    |
| Aurum natronato-chloratum . . . . .             | Granum unum.                |
| Cantharides pulveratae . . . . .                | Granum unum.                |
| Colocynthis praeparata . . . . .                | Grana duo.                  |
| Cuprum sulphuricum purum . . . . .              | Grana duo.                  |
| Cuprum sulphurico - ammoniacatum                | Grana duo.                  |
| Extractum Aconiti . . . . .                     | Grana duo.                  |
| — Belladonnae . . . . .                         | Grana duo.                  |
| — Colocynthidis . . . . .                       | Granum unum.                |
| — Conii maculati . . . . .                      | Grana tria.                 |
| — Digitalis purpureae . . . . .                 | Grana duo.                  |
| — Hellebori nigri . . . . .                     | Grana decem.                |
| — Hyoscyami . . . . .                           | Grana tria.                 |
| — Lactucae virosae . . . . .                    | Grana quatuor.              |
| — Nicotianae . . . . .                          | Grana duo.                  |
| — Nucum vomicarum aquosum . . . . .             | Grana duo.                  |
| — Nucum vomicarum spirituosum . . . . .         | Granum unum.                |



|                                                   |                    |
|---------------------------------------------------|--------------------|
| Extractum Opii . . . . .                          | Grana duo.         |
| — Pulsatillae . . . . .                           | Grana tria.        |
| — Stramonii . . . . .                             | Granum unum.       |
| Ferrum jodatatum saccharatum . . .                | Grana sex.         |
| Gutti . . . . .                                   | Grana quatuor.     |
| Herba Aconiti . . . . .                           | Grana quatuor.     |
| — Belladonnae . . . . .                           | Grana quatuor.     |
| — Conii maculati . . . . .                        | Grana quinque.     |
| — Digitalis purpureae . . . . .                   | Grana tria.        |
| — Hyoscyami . . . . .                             | Grana quinque.     |
| — Stramonii . . . . .                             | Grana tria.        |
| Hydrargyrum bichloratum corrosi-<br>vum . . . . . | Granum dimidium.   |
| — bijodatatum rubrum . . .                        | Grani quadrans.    |
| — jodatatum flavum . . .                          | Grana duo.         |
| — oxydatatum rubrum . . .                         | Granum dimidium.   |
| Kreosotum . . . . .                               | Gutta una.         |
| Liquor Hydrargyri oxydulati nitrici               | Guttae tres.       |
| Morphium aceticum . . . . .                       | Granum dimidium.   |
